DISPVTATIO
DE
RABIE CONTAGIOSA.

Cui præposita est

EPISTOLA DE GENERATIONE PLANTARVM EX SEMINIBVS.

Qua detegitur, in vocatis seminibus contineri plantas verè conformatas, vt dicunt, actu.

AVCTORE.

Præstantissimi Phylosophi & Medici Fauorini

Filio

IOSEPHO DE AROMATARIIS

ASSISINATE.

Ad Illustrissimam & Excellentissimam

DOMINAM COMITISSAM

ARVNDEL ET *SVRREI* &c.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.

VENETIIS, MDCXXV.

Apud Iacobum Sarcinam.

Illustrissimæ & Excellentissimæ

MATRONÆ D. ALATHEÆ.

INVIGTISSIMI COMITIS *ARVNDEL ET SVRREI*

MAGNI MARESCHALLIS ANGLIÆ VXORI PRÆCLARISSIMÆ.

EX NOBILISSIMO GENERE TALBOT

Illustrissimi & Excellentissimi

COMITIS *SHIROSBERII* FILIÆ.

Dominæ suæ cõlendissimæ.

IOSEPHVS de Aromatarijs S. P. D.

TANTA est Nominis tui magnitudo, vt non solum omnem Angliam, Belgiam, Galliam, cæteraſque finitimas Regiones, ſed exteras quoque omnes in tui admirationem traxeris; præſertim autem Italiam. Sed quamuis Fama centum linguis narret, centumque calamus deſignet inclitam Generis tui Nobilitatem, animi toto orbe celeberrimas virtutes, cæteraſque dotes admirandas, necnon fortu-

na & Naturæ dona: Nihilo tamen minùs, cum primùm cœpisti Venetys meo medico auxilio uti, & indè licuit mihi Veritatem comparare Famæ; Hanc debilem & disparis roboris cognoui, Tàm longè namque à Veritate abest, quàm longè rebus verba distant, mutisq; picta, quibus vera membra spiritus, & vita desint: Imo nec possunt humanis delineari verbis quæ diuina prorsus extant. Tractet qui noscere desiderat. Admirabitur ingenium, regendis Imperijs aptum, Disciplinis exornatum cunctis, virtutibus quam maximis, & diuinis moribus indutum, inque probis omnibus versatile; Intelliget quid sit vera Generis Nobilitas, quæ lucis instar fulget, nec potest vllo vnquam colore pingi; Et scribendarum immortalium Historiarum causas addiscet; Maximæ Virtuti admirabitur inseruire maximam Fortunam: Si tamen Fortuna desuper inferna regit; Cœlum namque tibi coniugio dedit Inuictissimum & Nobilissimum Magnum Angliæ Mareschallum, Virtutibus & Nomine præclarum supra humanum captum; dedit que magnæ indolis, certaque magnæ spei Filios; inter quos ô vtinam viuisset magnanimus Iacobus. Sed quid longè moror? Immortalis hæc scribantur calamo, nec proponantur imitanda populo, sed Maioribus; Sic omnium Prudentissima Magnatum Venetarum Serenissima Resp. cui par non fuit vnquam, nec futura creditur, perpetuis caracteribus signauit candorem, probitatem, cæteraque tua, tuorumque Natorum

ad

ad excitandos Nobilium posterorum animos: Mihi, fortè appellenti animum ad scribendas res Physicas atque Medicas, sat erit inscripsisse celeberrimum tuu Nomen paruo libello meo, quo de Rabie Contagiosa *agitur, meaque perbreui epistola* de Generatione Plantarum ex seminibus *tractanti. Tu amabò nè credas id à me vnquam factum, quòd indè sperem hac mea opuscula te lecturam; non est enim tibi, maximis rebus destinata, otium legendis medicas disputationes, physicasue explanationes. obsoleuit vsus, qui iam diù occupauerat Regias Mulieres in medendo agris: Nunc vos agitis maiora. Nec me putes exoptare mearum rerum defensionem. Malè namque mihi viderer mereri de Physicis Medicisque rebus dum Patrocinium abundè, quam à Veritate peterem Ea fauente sat tutus ero: oppugnante verò tantùm abest vt vincar, vt potiùs mihi sperare possim indè maiores compare vires. Veritas namque corrigit non vulnerat, perficit non opprimit ingenia Quod me impulit ad id præcipue extitit, vt mei nomen non immotescat vlli, quin eodem prorsùs tempore me tibi deditissimum intelligat, maximisque deuinctum beneficijs. Nec dedigneris tam paruulis inscribi libellis; cum Orbis Imperator Cæsar in fascia colli cerua proprium nomen designandum iusserit: Sed forsitan admisseris facilius dum memineris hæc mea, quæcunque sint, esse ad hominum vtilitatem scripta, & Artemisiam, mulierum præclaram, Reginarum memorandam*

herbam proprio celeberrimo insigniuisse nomine, pariterque maximum Regum Mithridatem pharmacum; nec mirum, dum Iuppiter à iuuando dicitur. Insuper nè credas hæc in aliorum libris obsoleta, alijsque dicata; quippe non sunt forsan talia: imò tanquam prorsùs mea, prorsusque noua tibi dico, dono, atque voueo; vt si quis vnquam earum ope sanitatem, vel naturam rerum adipiscatur; id felicibus auspicijs tuis referat acceptum: sin minùs verò, me saltem tibi obstrictissimum cognoscat. Vale.

Data Venetijs Pridie Kal. Oct. MDCXXV.

EPISTOLA

DE

GENERATIONE PLANTARVM
EX SEMINIBVS.

AVCTORE,.

Præstantissimi Phylosophi & Medici Fauorini

Filio

IOSEPHO DE AROMATARIIS
ASSISINATE.

Ad Illustrissimam & Excellentissimam

DOMINAM COMITISSAM
ARVNDEL ET SVRREI &c.

Superiorum permissu, & Priuilegys.

VENETIIS, MDCXXV.

Apud Iacobum Sarcinam.

PRÆSTANTISSIMO ORATORI

BARTHOLOMEO NANTI, Philosophiæ & I.V.D.

IOSEPHVS DE AROMATARIIS Fauerini filius. S.P.D.

ERVDITISSIME Nanti, libros de Generatione, quos multis ab hinc annis molebar, non conscripsi, nimiùm distractus ob affluentem numerum ægrotantium Nobilium, curæ meæ commissorum; & ob nimiam corpusculi mei imbecillitatem, quæ longas vigilias & labores renuit. Adnotabo nihilominùs, breuissimè per capita, quædam

potiora attinentia ad plantarum semina ; vt nisi satisfaciam, paream saltem tibi. Et erunt ea ipsissima, quæ sæpiùs ore aliàs explicaui. Addam & ea duo, quæ de ouis quæsiuisti. Poterunt forsitan quæ narrabo nimiùm prorsus noua videri multis, & ab humano conceptu aliena nimiùm : verùm non quidem tibi, qui non solùm aliàs benignè audiuisti, sed optimè nosti, Hominum ingenia rebus accommodanda esse, non quidem contra ; & antiquissima extare quæcunque semper eodem prorsus modo Natura præstitit, cognouerint nè Homines vel non. Conscribam aliàs iam conceptos de Generatione libros, in quibus multa forsitan vltrà communem opinionem enarrabo, non discrepantia (vt credo) à rei Natura. Nec forsitan longum valde tempus ab hac Epistola distabunt. Hoc interim sat erit hæc pauca signare.

Plantarum vocata semina non esse semina.

Et non habere vim, actu (vt dicunt) vel potentia generandi plantam.

Sed cum possint hæc obscura nimiùm existimari multis, aperiam rem clariùs

1. *Plantæ determinatis temporibus prolificum semen generant, animalium seminibus proportione respondens ; ex materia quadam spiritibus commixta.*

2. *Illud autem excernunt in vocatis seminibus ; veluti in paruis vteris, vel (si cum Empedocle loquaris) in ouis arborum.*

3. *Iis locis spiritus conclusus subditam materiam fortiùs aggreditur, & noua semper affluente spiritu viuifico, do-*

mat

mat adeo vt ex eius potiori parte paruissimam plantam re-
uera generet, determinatis organis distinctam & confor-
matam, & vera viuificat plantalis vita: Reliquam verò
partem releget in alimentum assumendum ab ipsa effigiata &
conformata planta &c.

4. Parua, quæ gignitur planta in cognominatis seminibus,
vel gignitur qua parte pediculus adheret, vel prorsus contrà:
vel alio quodam modo.

5. Quæ gignitur qua parte pediculus adheret, exporrigit ad
pediculum radices, folia autem ad apicem.

6. Quæ verò gignitur in apice; folia extendit pediculum
versus radices autem ad apicem.

7. Nec desunt alij modi.

8. Parua hæc planta, ex quo die gignitur, vmbilicus, nutri-
tur, augetur, & determinato tempore decrescit, non aliter ac
animal senectute laborans, ac tandem moritur, nisi determina-
to loco & tempore seratur.

9. Plurima harum plantarum, quousque extant in vocatis
seminibus latentes, nutriuntur per adnatas quasdam (vt ita
dicam) vmbelicales vias.

10. Vndè plantarum vocata semina quæcumque iam ge-
nitam & conformatam plantam obtinent, sunt fœcunda.

11. Quæ verò non habent, infœcunda prorsus extant;
nec illa amplius remedio fœcundari possunt; si decciderint à
planta.

12. A vocatis igitur seminibus debito loco satis nascitur
planta, non gignitur.

13. Generatio fit ope vocatæ concoctionis.

14. Ortus fit cum recrudatione plantæ, & concoctione as-
sumpti nutrimenti.

15. Pro plantarum ortu, vocata semina lac generant, vitæ
duum, ex ea parte quæ ad nutriendum destinata fuerat &

congeneo attracto humore ; ad faciliorem inde nutritionem & auctionem.

16. *Orta planta , non amplius à vocato semine recipit praeparatum alimentum , nisi parùm : sed à terra aliove proportionato loco.*

17. *Nec amplius per adnatas vias , nisi vt diximus parum ; sed per radicem sugit, non aliter ac animal, quod primo per umbelicales venas creditur nutrimentum capere , exortum verò per os assumit.*

Hæc sunt pauca veluti semina dicendorum in lib. de Genetatione , quatenus ad plantas ex seminibus ortas attinet. Ex quibus facillimè colligitur (si vera sunt vt credimus) quàm vanè agirentur quæstiones quotidiè dum quæritur . Quomodo vocata semina , ab arbore aliisue plantis iam excerpta , debito loco sata nouam plantam generent . Anque adsit in ipsis forma plantæ nec ne ; Asserentibus nonnullis formam ibi esse in potentia tantùm : nonnullis verò affirmantibus , nou adhuc extante organizatione , verè adesse formam , vt dicunt , actu ; quæ sibi ipsi domicilium parat ; Non aliter , ac si forma plantarum esset quid verè separatum , vt dicunt existentia ; vtens materia , tamquam lignis ad nauem fabricandam. Essetque forma existens realiter , rei tamen realiter non formatæ ; magis quàm Nauta non Nauigij Nauta . Nec non aliæ inextricabiles petitiones , excitatæ ad humanum ingenium labefactandum , & è recta phylosophandi via deturbandum . Quodautem attinet ad ova gallinatum ; existimamus equidem , *pullum in ouo delineatum esse antequam foueatur à gallina.*

gallina. Et credimus augeri à calido materno, non solùm tamquàm à fouente, verùm partim etiam tamquàm à materia nutriente; quod & alys quibusdam animantibus ab ere commune contingere putamus; veluti in lib. de Generatione Animalium, Deo dante, enarrabimus. Vale meque vt soles ama.



DISPVTATIO
DE
RABIE CONTAGIOSA.
AVCTORE,

Præstantissimi Philosophi & Medici Fauorini

Filio

IOSEPHO DE AROMATARIIS
ASSISINATE.

Ad Illustrissimam & Excellentissimam

DOMINAM COMITISSAM
ARVNDEL ET *SVRREI* &c.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.

VENETIIS, MDCXXV.

Apud Iacobum Sarcinam.

LECTORI.

BEnigne Lector corriges hæc pauca & quæ alia sunt errata pagina 6 lin. 19 Idilia lege *Idylia* 7. 11 Abſirtũ *Abſyrtum* 17 Syracuſanus *syracuſanus* 9 28 offere. *offerre* 11. 7 μάστα μάστα 8 ἀπροσεν ἀπροσεν. 12 4 Aut Acut 11 10 & de cum of onicis *aut de cum proſthesunt* 17 παρεὰς παρεὰς 19. 1 τυγχάνοντες. τυγχάνοντες 5 calchitarem. *calliditatem & ſitutatem* 21 26 Rethoni. *Rhetoribus* 29. 29. licet. *ſilicet* 29 21 cum *illud* 30 10 eſſe. *eſſet* 36 4 præcepta. *præceptum* 13 exitia. *ex arra* 39 5 conſengit *conſeruit* 40 25 mares. *maris* 44. 14. ob *ab* 49 28 quæ *quæ interum* 69 A *At* 70 26 Cæſius. *Caſſio* 72 9 beſtiolæ. *beſtiolam* 82 14 Eorumq; ic *Eorumque* 85 1 ægipto *Ægypto* 14 eſſe. potus *eſſe potus* 86. 7. accumule. *accumulo* 94. 2. laudamus *laudamus niſi*. Vale.

TOTIVS OPERIS PARS PRIMA.

PARTICVLA PRIMA.

ARTIVM, & Doctrinarum conditrix Inuentio Medicinam non perfecit, cum hucusque multa ad ipsam pertinentia tenebris obruta maneãt. Hunc illorum institutũ semper censuimus imitandum, qui nouis adinuentis eam ampliare sunt conati; Medicum namque decet non modò quæ ab alijs benè assignata sunt recipere, sed & occulta quoque meditando, pro viribus, inquirere. Inter ea verò, quæ cũ Humani Generis natura latent, Rabies obscurissimum locum obtinet. Vnde, sæpiùs ad ipsius naturam perquirendam excitati, hunc libellum scribere decreuimus, cum soleat ingenium calamo fulcitum defatigati minùs, minùs etiam labi, & ad penitiora progredi facilùs. Cum verò ad ordinis & doctrinæ claritatem non minimùm conferre soleat nominis cognitio, operæpretium esse duximus, præponere nonnulla ad illud attinentia.

PARTICVLA SECVNDA.

RAbies igitur, quæ ab Antiquioribus *Rapia* dicebatur, si propriè loqui volumus, est fortior quædam Ira, quamuis aliter crediderit Gorreus. Sic Latinè quasi *Rapiens* dicta. Græcè verò λύσσα & λύττα ἀπὸ τῆς λύσεως à solutione scilicet, cum ab omni soluat rapiatque mansueta conditione. Huius duæ sunt primæ præcipuæque species: Altera, quæ ab interne commota materiali causa, potiùs quàm ab externè commouente originē deducit; de qua sic loquitur Hipocrates lib. de Pris. Med. καὶ εἰσὶν μὲν ἰχῶρες πρηΰτατοι ἀχιμῶδέες τε καὶ λιπαροὶ, εἶτα λύσσωδες. ideſt, *Quibus quidem acuti* (ſcilicet humores) *mſtant, acreſque & eruginoſi, quæ nam Rabies* nempe exoriuntur? Altera verò ſpecies eſt, quæ ab odio habito obiecto naſcitur primariò, eaque duplex eſt: vel inferuens Rationi vel ipſam turbans. De prima ſic cecinit Homerus,

κεκλήγει δ' ὑλαγμὸς ὑπ' ἀνδρομέης λύσσης

ideſt, *ingens* (Hectorem) *inuaſit Rabies*. De ſecunda Statius 2. Theb.

Hæc ambobus Rabiem fortunæ cruentam
Attulit.

Accipitur quandoque, minùs tamen propriè, pro effera concupiſcentia ſacularis appetentia, vt Rabies edendi apud Virg.

collecta fatigat edendi

Ex longo Rabies.

& Rabida Orexis, apud Iuuenalem

Rabi-

Rabidam facturus orexim,

Sic ēt refertur ad amorem, vndè apud Nemesianū ecl. 2.

Interea tamquam nostri flamen amoris
Hæc foret, aut posset Rabidas mediçare furores

Vsurpatur insuper pro Mania, siue diças, Perturbatione Ratiocinatricis facultatis, quæ vel ab ira nascatur, vel eius saltē socia fuerit. Veluti videre est apud Nonnum, Eurípidem, & Catullum, canentes, alterum Athamanta, alterum Herculem, alterum verò Atym. Insuper, cum sæpiùs Bruta a morbo quodam adeo exasperati soleant, vt veluti irata nimiùm, & ab interno exagitata lethifero furore obuia quæque morsibus lacessant, rationabiliter hanc etiam ægritudinem Prisci Rabiem vocauerunt: Idque tanta felicitate præstitere, vt tractu temporis istud nomen tamquam proprium, in hoc sensu explicando, receptum fuerit, & indè metaphoricè ad Homines delatum, veluti apud Homerū legimus 8. Iliad. sub persona Teucri aduersus Hectorem

Τῶνδ', ἦ ῥά νύ κεν μιν ἀλεξήσειν χόνι λυσσητῆρι

ideſt: *Hunc nequeo attingere canem rabidum* Tandem, vt reliquas prætermittam omnes significationes, cum à morsu canis vel alterius rabientis Bruti morbus in Hominibus excitetur, qui propriè Hydrophobia Græcè dicebatur, hanc etiam ægritudinem, quamuis impropriè, Rabiem nominarunt aliquando Galenus, Aretæus, Cælius, Ælianus, reliquique plures, qui post Aristotelis tempora vixere. Nos cum sic iam vsus obtinuerit, vocem hanc accipimus, & pro eo denotando morbo, quē brutis competere mox diximus, necnon pro illo, quem Hominibus animantia rabida

communicant. Quod eò facimus libentiùs, quò in vtrisque eundem esse credimus. Graue quidem ac portentosum morbi genus, vt inferiùs apparebit: sed eò longè magis, quo communicabile. Hoc tamen miserrimum, quòd hucusque eius curatio, & natura ignotissima videatur; cùm omnia, quæ rabidis Hominibus administrari solent occulta insita virtute credantur operari; & qui essentiam morbi determinare sunt conati, omnes fere plurimum se crediderint dixisse, cum ad ignotas qualitates, & non cognitū venenum confugerunt; exceptis paucis, qui & ipsi forsitan aliquid desiderandum relinquerunt. Nihil indè mirum, si tanta caligine obducta, toties dies periclitentur homines. Huius passionis causas & naturam quærimus, vt singulos effectus ad propria principia reuocare liceat, & indè ad curationem certis determinatisque methodis veniré. Quæ quidem omnia, si vndequaque feliciter nō cesserint, sat erit nos de maximis solicitos fuisse; de arduis etenim philosophari non illiberale iam didicimus, rerumque omnium causas verissimas Deo soli notas. Noster autem tractatus à cane rabido initium sumet, veluti ab eo, in quo præcipuè omnes clariùs & frequentiùs obseruarunt morbum hunc vigere, indeque vt plurimum communicari cæteris.

PARTICVLA TERTIA.

CAnem igitur, quem fera intrasit Rabies, internus depascit furor; vnde corpus gracile, squalidumque redditur. Apparent oculi exerti, patentes, & rubentes

bentes valdè, ac multa obscura tenebrositate obducti. Crassa, & frigida pituita naribus, larga, & spumosa ore prouenit. Porrecta, & tumefacta lingua, tamquam bile colorata prominet. Aures molles, & in motu iuncti. Solitarius, declinis, curuato dorso, & quasi ebrius ambulat. Nunc citato cursu ducitur: nunc citra rationem subitò consistit. Obuia quæque & non præuisa morsibus adoritur, Domino non parcens, inanimata non cognoscens. Taciturnus est, & dum quandoque latrat, raucam emittit vocem. Potum omnem, & escam auersatur. Difficillimum spiratum obtinet. Conuellitur, ac tandem strangulatus moritur. Solet canis hoc morbo vexari singulis quidem anni temporibus: at præcipuè flagrantissimis caloribus, & frigore maximè tigescente, vel si cibos potusue ingerat putridos, corruptos, acres, vel præter modum calidos, vel gelidos.

PARTICVLA QVARTA.

ENarrata iam historia, considerandum remanet, An solus canis rabiat: anue etiam, vt diximus, animantia plura. Vt si quid mali, & pernitiosi nobis instat à rabiosis originem deducens, id facilius hoc pacto liceat euitare. Nec res est adeo clara, quin maximis sit inuoluta difficultatibus, si Auctorum monumenta spectes; legimus etenim apud Galenũ 6. de loc. af. cap. 5. *Quippè facilè intelligetur à canibus quantam habeat rerum efficiendarum aptitudo. Quum etenim reliquorum animalium nullum rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur.* Quam sententiam videtur amplexatus Alexander, quicunque

fuerit

fuerit, lib. 1. prob. 1. vbi legimus. *Cur soli animantium canes rabiant per æstatem?* Ex alia verò parte Aristoteles, Cælius Aurelianus, Vegetius, Albertus, Auicennas, necnon alij plures constantissimè asseruerunt reliquos etiam animantes plurimos posse rabiem pati. Imò, quod magis est, id experientiæ consonum apparet. Quomodo igitur Galenus, & Alexander vindicandi? Referamus quid attulerint viri non spernendi nominis: siquenobis illorum placuerint sententiæ, adhæreamus illis: sin minùs, non tædeat aliquid vlteriùs expiscari.

PARTICVLA QVINTA.

SVnt qui dicant Rabiem propriè, & primariò solis canibus competere: secundariò verò, & impropriè reliquis animantibus non paucis; non sunt quippe eadem, vt aiunt, canum, & aliorum rabidorum signa. Addant, si volunt, Auctoritates etiam. Zaccarias Calliergus, Collector commentariorum antiquorum in Theocriti Idilla, com. 4. dixerat. τὸ λύσσᾶν ἴδιον τῶν κυνῶν: ideſt: *Rabere proprium canum*. Verùm hæc nimiùm leuis fuga, nimiùmque valdè lubrica; cum non possint eadem prorsus omnia accidentia fieri in canibus reliquisque brutis, dum organa non sunt prorsùs eadem. Et quatenus ad eruditissimum Calliergum attinet, Theocritus ipse videtur illo eodemque loco rem longè aliter determinare, modulatus talia.

πάντα γὰρ μᾶλλον καὶ τῶν λύσσης ἄνευθε λύκων

vel, vti Calliergus legit

πάντα

ἐσθίει τι μέλαν &c.

Imò idem Zaccarias addidit: id fortasse Theocritum dixisse, ex eo quod patiantur rabiem etiam lupi iuxta consuetudinem. Et quęnam maior similitudo (vti Petrus Salius adnotabat) lupinæ ad caninam, quam caninæ ad lupinam? Nonne per se soli rabiunt etiam lupi, feles, cęterique plures animantes? Nonne pari pacto rabiem canibus communicare valent, & Hominibus? Sed quid amplius commoramur in hac proprietate & improprietate nominum, si qui ipsam posteriores adduxere, aliam indè aufugiendi tentauere viam? Asseruerunt etenim Palladium, Absirtum, & Hieroclem (quibus obseruatum fuit plurimę animantia rabiem pati) extitisse Galeno posteriores; vndè aiunt, facilè contigisse, vt illius tempestate nõdum in alio quopiam, quàm in cane Rabies innotuerit, vel saltem id nomen non obtinuerit? Sed nonne, vt de Aureliano taceam, ante Galeni tempora extitere Aristoteles & Siracusanus veruſtissimus Theocritus? Huc tandem res est adacta, vt dixerint Galenum nõ exercuisse Hyppiatricem; & propterea si quicquam in ipsa errauerit, excusationem meretur. Verùm quo nam modo Galenus asseuerabat, illo eodemque loco, Homines etiã tentari rabie, si canes tantũmodo ab ipsa vexari volunt? Nimiùm quidem facilis esset hæc ad libitum interpretandi via.

PARTICVLA SEXTA.

ERat Galeni institutum demonstrare, quòd in nobismetipsis absque externa infectione, potest corruptio

ruptio quædam nasci adeo vehemens, vt veneni qualitatem, & naturam æquet. Idque deducto à canibus exemplo confirmare nititur his verbis. ἔστιν γὰρ τὰ ἄλλα ζῶα ἀλισκόμενα λύττῃ, μόνον ἀλίσκεται τοῦτο. καὶ τοσοῦτο μὲ κατὰ αὐτὸ γίγνεται διάφορα τὸ χυμὸν ὅσῳ τοῦτο ἴδιον αὐτῷ μόνον ἐνόσησε. τοῖς ἄλλοις ἀρρωστοῦσι ἰσχύσαι λυττᾶν. quæ quidem sic interpretanda credimus. *Nullo etiam aliorum animalium rabientes per se solum hoc* (scilicet canis) *rabie corripitur, & tanta quidem ex ipso gignitur corruptio humorum, vt solum eius sputum Humano corpori inspersum operetur rabiem.* Quibus, nó existimamus Galenum asseruisse canem solum modo inter animantia rabiem pati: sed hanc veritatem confirmasse, quòd scilicet, nullo animalium eo temporis & loci rabiente (vndè posset infecto dubitari) canis per se solus, ob internam scilicet causam, rabie deprehendatur. Sic pari pacto arbitramur intelligenda Alexandri verba; διὰ τί μόνοι τῶν ζώων λυττῶσιν. *Cur* (scilicet) *per se soli canes æstate rabiant.* Non est enim nouum quòd μόνον *Per se solum* denoter. Et sic non erit amplius abroganda fides experimentis, & Auctoritatibus quamplurimis, cum Galenus ipse non abhorreat. Animadvertendum tamen esse credimus, non vnum quodque furoris genus esse rabiem de qua loquimur, quippe solent sæpiùs Muli, Boues, Equi, variis de causis concitatissimo furore duci, & in armenta, ac Homines irruere, etiam si non sentiant ipsam: sed redeamus vndè iam digressi sumus.

PAR-

PARTICVLA SEPTIMA.

VIdimus hucusque plura quidem bruta, per se sola, & absque externa vlla infectione, rabiem pati. Nunc superest, An illa, quæ à rabido commorsa fuerint, rabida & ipsa fiant. Aristoteles 8. de Hist. Anim. cap. 22. scripserat. καὶ ὅταν δάξῃ λυττῶν ἅπαντα τὰ δηχθέντα πλὴν ἀνθρώπου. ὅταν δὲ μὴ παραχρῆμα τὸν τὸ κύνα, καὶ ἔτι οὐ δηχθῇ ὑπὸ λυττῶντος πλὴν ἀνθρώπου. ideſt; *& cum momorderit* (canis rabidus) *omnia commorſa rabiunt, præter Hominem. Occidit autem iſte morbus & canes, & quodcumque commorſum eſt à rabido, præter Hominem.* Ex alia verò parte (vt nunc de Homine taceam) plures canes à rabido commorſi rabiem euitarũt, nullo etiam adhibito remedio; quod & anseri contigisse Nicolus testatur; & quatenus ad mortem attinet, obseruatum est sæpiùs Venatores sanauisse canes in tabiem iam adactos. Ex quibus videtur tamquam falsa refragari Aristotelis sententia. Iacobus de Fogliolo, in suo de Venatione, statuit duas esse præcipuas rabiei species. Alteram, quam calidam, & desperatam vocat: alteram, quam cõsuetam nominat. Vtrasque asserit incurabiles; cum hac tamen differentia; quòd canes calida rabie detenti, quibuscumque morrem inferant, si ex vulnere sanguis exeat dum momorderint: Qui verò consueta rabie laborant, communicent quidem morbum inferantque mortem: sed illis tantùm, quibus in die primùm vulnus inflixere. Vndè iure posset aliquis pro Aristotelis retinenda positione, asserre ipsum de calida, & desperata loqui. Nobis tamen

fat erit eam verificari ex maiori parte: nè etenim, scilicet *OMNE* denotat quandoque maiorem & potiorem partem; vt cum dicimus, vniuersa commota est Ciuitas, non intelligimus omnes, & quoscunque singulos commotos esse, nullo equidem excepto: sed maiorem, & potiorem partem tantùm. Cum igitur ex maiore parte id eueniat, arceatur ab Homine quatumque rabidum animal momorderit, nè læsus indè & ipse quoque patiatur mortem.

PARTICVLA OCTAVA.

VErùm non immeritò dubitari posset, An Homo rabiat, quamuis à rabido commorsus; aque rabie pereat. Cum vtrumque, suprà relatis verbis apertissimè Philosophus videatur abnegasse: Experientia, verò & Auctores non pœnitendi nominis validè repugnent. Quid igitur? est ne forsan Aristoteles in re tam clara lapsus? Sunt qui dicant ipsum equidem errasse. At grauiores Homines, in rebus præsertim ad sensum attinentibus, ad tantam audaciam non venerie, vt prouetus falla tentauerint insinuare nobis, & Aristoteles præcipuè, qui in conterendis libris de animalibus tot impendit nummos, tot sustulit vigilias, totque labores. Hyeronimus Mercurialis coniectat, ex marginibus inserta fuisse illa verba, quę latrandi occasionem præbuere. καὶ ἔστιν ἄνθρωπος ὑπὸ λυττῶντος πληγὲν ἀπολῶται. & est conatus insinuare nobis, se vidisse (in Bibliotecha illa eruditissimi & nobilissimi Viri Vincentij Pinelli, quæ aquatum fato perijt) Veteris cuiusdam Interpretis

tus

xis Latini manuscriptum codicem, & alibi Græcum, item manuscriptum prædictis verbis carentem. Addit præterea, ad id magis comprobandum, vt ipse credit, quòd Antiquus Auctor Antigonus, in Synagoge Paradoxarum Historiarum (vbi multa ait fidelissimè ex Aristotele ipsum recitare) dixerit id solum voluisse Philosophum eo loci, *ὑπὸ κυνὸς λυττῶντος λυττᾶν μόνον τὰ δηχθέντα ἄλλο δύνασθαι*. At fateor ingenuè, nõ video quonam modo eius coniecturæ faueat allatum Antigoni dictum, quòd est: *A cane rabido rabiunt omnia quæ commorsa sunt præter Hominẽ*, omni modo Stagiritæ verbis contrà respondens. Insuper eodem capite dixerat, Iulium Pollucem explicasse in suo Onomastico hanc Philosophi sententiam: sed si textus illa carer, quomodo Pollux explicauit ipsam? Tandem decerant nè forsan ea quoq; verba *καὶ ὅτι μόνα δήχ' λύσσησι ἄλλα τε δηχθέντα κύνα λυσσᾶν*? Sed relinquamus has nimiùm facies Hyeronimi coniecturas, eoque libentiùs, quò & ipse quoque addidit: *Verùtamen, vt concedam Aristotelicum contextum nihilum mutandum; neminem adhuc eorum veritatem vsquam assecutum existimo. Propterea quod tempestate Aristotelis morbum hunc nusquam cuiquam innotuisse inuenio. Vndè iure ipse scripsisse mandauit solum Hominem commorsum à rabido cane illesum permanere. An verò illudita fuerit, quòd eo tempore morbus ille nusquam esset, sed post ortum habuerit? an verò quòd esset quidem, sed minimè cognosceretur, forsan dubitari posset. Attamen vtrumque fieri potuisse existimo.* Nos verò scimus, nullo modo vtrumque fieri potuisse? An verò alterum videbimus?

PARTICVLA NONA.

FVit longè ante Mercurialem quasi hoc idem in dubium reuocarum. Cœlius namque Aurelianus lib. 3. Auct. disputat, vtrum Hydrophobia (sic rabiem vocat in Hominibus) sit noua, vel antiqua passio. Affert multas rationes pro vtraque parte, Soluit eas, quę nouam probare nitebantur: repudiatque nonnullas earum quæ antiquam concludere tentabant; hac tamen approbata, quòd scilicet Democritus, qui Hippocrari conuixit, non solùm memorauerit hanc passionem ex professo in lib. de eorum prostonicis, sed etiã causam & curationem scripserit. Mercurialis autem, iam citato loco, sic illi eõrum eliosè fidem abrogare tentat. *Neque Cœlij Aureliani auctoritas (siue ipse sit siue Soranus ab eo latinus redditus, qui in 3. acutorum de hac passione latissimè disserit) me quicquam mouet; quandoquidem ineptè satis ac indoctè ex vno vel altero Homeri, Menandri, Democriti, & Hippocratis loco falsò, & extra rem inducto, Hydrophobiam veteres Auctores nouisse se se probare credit.* Sed nos non possumus Mercurialem non mirari; siquidem non viderit, eo nitijs nimiùm inrentus, Cœlium propè finem capitis repudiasse Auctoritates Poetarum, & Hippocratis ab alijs allatas; Poetarum veluti non rectis necessariò verbis destinatam: Hippocratis veluti de Phreniticis, non de Hydrophobis loquentem; Vndè concludebat, ad demonstrandum non esse nouam hanc passionem vtendum esse alijs rationibus; quarum vna Democriti auctoritas allata sufficit; nec eam

(nisi

(nisi reuiuiscant libri a Democrito conscripti) est qui possit tamquam falsam fugere, absque nimiæ audaciæ nota. Nec sunt ex plebe scriptorum infima Cœlius vel Soranus, qui falsa insinuare soleant, quiue adeo ineptè, & indoctè scripserint, vt non semper magni nominis extiterint. Veruntamen ad rationes descendamus Nititur Mercurialis demonstrare quòd Aristotelis temporibus hæc passio nondum innotuisset ex Plutarchi dicto, qui 8. symp. prob. 9. testatum fecit ex sententia Athenodori, Hydrophobiam, & Elephantiasim nouos fuisse morbos, temporibus Asclepiadis, qui sub Pompeio Magno claruit. Addidit quòd ipsius non meminerũt Hippocrates, & Nicander, & quòd Ouidius, qui vixit paulò post Asclepiadem, cecinerit

Soluere non fassa nescit Medicina Podagram;
Nec reformidatis vlla medetur aquis

Quibus credidit Ouidium innuisse, morbum hunc nuperrimè apparuisse, quippe cuius medicina nõdum inuenta esset. Sed eodem pacto podagra noua tunc temporibus fuisset, cum eiusdem testimonio illa quoque medicaminibus non cederet. Sic etiam potuisset nouus dici cancer. Sed optimè dicebat Cœlius, loco iam citato, incurabile non esse necessariò nouum. Ex Nicandro verò nihil noui stabiliri potest, cum & de alijs ab Antiquioribus recognitis tacuerit Sic nihil ex Hippocrate (si de hoc morbo non tractasset,) cum & ipse quoque plurima ab Antiquis cognita prætermiserit. Nec Plutarchi dictum quicquam refert. Non asserit etenim magnus, & oculatus ille vir Hydrophobiam, & Elephantiasim nouos tunc temporis fuisse morbos:

Verùm

Verùm sic Athenodorum credidisse. Athenodori autem sententia duobus modis videtur posse accipi: vel quòd scilicet simpliciter, & absolutè noui fuerint: vel quòd Romæ tantùm noui. Si voluit eos primò apparuisse Romæ, circa Asclepiadis ætatem, quid hoc ad negandam cognitionem Aristotelis alibi degentis? Si verò absolutè nouos, quomodo Mercurialis confitetur Aristotelem, & Lucretium cognouisse Elephantiasim? Addimus insuper Hydrophobiam non solùm Aristotelis temporibus notam extitisse: verùm longè antea. Plinius quippe lib. 20 Hist ex Epicharmo laudat brassicam siluestrem contra morsum canis rabidi. Epicharmus verò Aristotelis tempora præcessit, quippè Pythagoræ auditor fuerit: Nec equidem fuisset cur potiùs contra morsum canis rabidi, quàm alterius collaudasset eam, nisi Hydrophobiam cognouisset: sed vlcus tantum respexisset. Tandem fortasse infernùs apparebit Aristotelem quoque hunc morbum cognouisse, & memorasse.

PARTICVLA DECIMA.

AT quomodo hoc loco eius saluanda fides? Sunt qui verba illius non delenda, sed imutanda putarent. Leonicenus vbi πλὴν ἀνθρώπου legitur, quod idem est ac, *præter Hominem*, reponendum esse censuit πρὸ ἀνθρώπου quod est *Priùs Homine*. Marcellus Donatus, in sua Mirabili Historia, credidit potiùs legendum esse πλεῖν ἀνθρώπου, quòd est *Plusquam Homo*: Vterque ingeniosè valdè: sed non adeo facilè adhæc diuerticula nos

conuer-

conuertere debemus; est etenim inuigilãdum, an possit consueta lectio retineri, absque vlla veritatis læsione; quod non videtur fortan adeo arduum, vt non appareat etiam pluribus nominibus posse cõsequi. Quicunque scilicet reuocabit in memoriam, affirmationes, & negationes non vnuocas posse insimul verificari, poterit etiam constantissime asserere, Homines à cane rabido commorsos in rabiem agi, & non agi, Mori insuper & non mori; cum absque medicina rabiant, vt ita loquar ac intereant. Ea verò oportune administrata nullum horum accidat. Vnde Actius optimè dicebat. Ser. 6. cap. 24. omnes quà à rabioso cane, commorsi sint, si neglecti fuerint, aut malè curati, in Hydrophobiam cadere. Cætera quidem animantia, qua ratione cæteri, si demorsa fuerint rabiunt, ac intereunt; cum Natura illa nõ docuerit vllam medicinam ad talem passionem debellandam; & nulla, vt plurimum de ipsis sit Homini sollicitudo: quinimo tamquã terribilia, & lethalia fugimus; vnde adagium apud Suidam, *Fuge canem rabidum &c.* vel, quòd magis est, ad ipsorum necem propetamus. Optime igitur Aristoteles poterat asserere, omnia animalia rabere, si à rabido commorsa fuerint: Homines non item cum sibi ipsis medicari possint. Hanc expositionem videtur attulisse Auicennas 8 de Hist. Anim. vbi legimus eandem Aristotelis sententiam sic amplificatam. *Canibus accidit squinantia, Podagra, & Rabies. Et quando mordet canis rabidus interficit omne animal, preter Hominem, qui potest medicari.* Hunc secuti sunt Albertus cognomentò Magnus, & Augustinus Niphus Suessanus. Sic etiam non

recedet ab Aristotelis contextu quicumque nouerit, affirmationes & negationes insimul veritatem retinere posse, dumodo non vniuersaliter enuncientur, quamuis vniuersales extent. Aristoteles etenim, cum de Homine loqueretur non est vniuersaliter locutus: de cęteris verò animantibus dicebat ἅπαντα λυττᾶσιν, ideſt: *omnia rabunt*, quasi nos docere vellet, Reliqua animantia omnia rabere, ob morsum canis rabidi: Homines autem non omnes; cum seruentur quandoque ope medicaminum, & nonnumquam nullo adhibito præsidio, veluti fidelissimè testatur, inter alios, Petrus Salius Diuersus. Hanc expositionem attulerunt Leonicenus & Montisanus: At Leonicenus postea dubitat, afferens testimonium Nicoli, asserentis à cane rabido non rabijsse anserem commorsum, quamuis idem canis ad rabiem & mortem perduxerit iuuenem, quem priùs iam momorderat. Hoc eodem pacto dubitari posset contra aliam iam allatam expositionem, cum canes quoque rabidos viderimus quandoque seruatos ope medicaminum. Sed ab his forsitan tam facilèn̄ commouebitur quicumque nouerit quod supernùs dicebamus *OMNE* scilicet aliquando maiorem & potiorem partem denotare; & Philosophum quasi despicere, quæ de rarò accidunt.

PARTICVLA VNDECIMA.

Nihilo tamen minùs addamus aliud, idque (vt nobis videtur) maxima consideratione dignum; in hac scilicet disputatione fieri quandam, vt aiunt, termi-

terminorum mutationem. Asserat Aristoteles, Homines non rabire ex morsu canis rabidi: & à Rabie ipsos non mori: Qui verò falsitatis ipsum arguere conantur, Hydrophobas fieri, & mori probant. Ostendant Antiquiores dixisse ipsos fieri rabidos, & à rabie mori; auferantque palmam. Est namque ad memoriam reuocandum Sapientiores Priscos consueuisse vti nonnullis vocibus ad passiones brutorum denotandas, quibusdam verò ad solius Hominis morbum explanandum. Exemplò sint πρανσις & πυρετὸς, quarum vtraque febrim notat; cum hoc tamen discrimine, quòd πυρετὸς sit in Homine: πρανσις sit in Boue, Equo, sue, cæteriscque brutis. Cuius rei veritatem videre licet apud Arist. eodem lib. 8 de Hist. Anim cap 21. & 23. & equidem non esset qui diceret propriè Homines πρανσις laborare, sed omnes πυρετὸν pati dicunt. Nec aliter de Rabie, & Hydrophobia videtur euenisse. Non legimus etenim apud Priscos, bruta fieri Hydrophoba, sed rabida: Et Dioscorides, cum de morsu canis rabidi loqueretur, non est ausus Homines exinde rabidos nuncupare: sed morbum à morbo segregans dicebat ὕστερον δὲ ἐμπεσὸν ποιεῖ τὸ καλούμενον ὑδροφοβικὸν: scilicet: *exinde generat morbum quem dicunt Hydrophobicum*. quòd etiam ab Actio, Paulo, & Actuario factum vidimus, quamuis extiterint Galeno posteriores. Nec existimes Antiquiores absque ratione diuisisse. Crediderunt etenim hanc passionem tàm in Brutis quàm in Hominibus, sub genere perturbatæ cognitionis reponendam esse. Cum ab illa igitur contingat adeo exasperari bruta, vt velut irata animùm omnia adoriantur morsibus, rationabiliter

ἀφόρητον, singulos Rabiem, eam nominarunt: In Hominibus, verò cum ratiocinatricis facultatis turbationem esse crederent, alio nomine signandam esse voluerunt. Et quicunque existimarunt perturbationem consistere in hoc, quòd aquam tantùm perhorrescant, Hydrophobiam nuncuparunt: Qui verò non solam aquã sed omnem reliquum humorem ægrotantes permiscere pugnarunt, Hygrophobiam dixere morbum. Reliqui verò, qui naturam eius voluere positam in hoc, quòd sitientes timeant, absque ratione, potum, Phobodipsiam appellarunt. Omnes à nobilioris facultatis commotione denominationem facientes. Optimè igitur Aristoteles dicebat Homines non fieri rabidos; & forsitan dixisset fieri Hydrophobas, si de nomine inter Medicos conuenisset: Verùm, cum de voce dissentiens, & vnanimiter assentirentur, esse perturbationem ratiocinationis, eamque cum rata (& vt vno verbo dicam) esse maniæ quandam speciem, dixerat canum rabiem progignere Maniam, nõ aliter ac Dioscorides, & plures reliqui diuersum exindè fieri Hydrophobiam. Nec quis putet id de brutis dici, cum Hominibus tantùm propriè accidat mania, est enim perturbatio ratiocinatricis facultatis, qua singula quæque bruta, Aristoteles extare credidit, sic ... dicta ... vie à ἀλύσεως nempe, sine quadam mentis, si quam proprie eo nomine vti voluisset, non dixisset forsan ... vel ... nec dixisset ... sed ... Rabies enim non generat maniam, sed est mania quædam (vt magis propriè loquar) canum. Quod optimè Aetius recognoscens dixerat ... ἐνεῦ

φυσῶν τοιγάρτοι, συνιστῶνται κατὰ τὸ θέρος ἐκ τῶν περιεχόντων ἡμᾶς ὑγρῶν, ὑπερβαλλόντως, καὶ ξηρότητος, καὶ τῆς περιττῆς τῶν ἀναπνοῶν ἀνωμαλίας μανίαν ἢ κύνειον λύσσαν. scilicet: *canes calidi, & ficci naturæ existentes, superacquirunt in æstate à circumplectente nos aere alteram caliditatem. Et ab hac immoderata intemperie subsistunt maniam, quæ dicitur λύσσα,* nempe rabies. Et equidem canes non dicuntur tabidi nisi sint maniaci, vt ita dicam; Sed videamus an quæ diximus correspondeant verbis Aristotelis, quæ sic descripta legimus. *οἱ δὲ κύνες πάντων νοσοῦσι τριῶν, ὀνομάζονται δὲ ταῦτα, λύσσα, κυνάγχη, ποδάγρα. τούτων δὲ λύσσα ἐμποιεῖ μανίαν, καὶ ὅταν δάκῃ λυττῶσι κύνες τε δάκνοντες πολλοὺς ἀνθρώπους, ἀναιρεῖ δὲ τὸ θηρίον τοῦτο τὰς πλείονας. καὶ ὅτι ἂν δάκῃ ὑπὸ λυττῶντος πολὺ ἀνθρώπων.* Hoc est: *Canes laborant tribus morbis. Nominantur autem isti, Rabies, Cynanches, Podagra. Horum rabies generat maniam* (scilicet in Hominibus, quibus tantùm competit, si propriè loqui volumus) *& cum momorderint, rabiunt omnia præter Hominẽ* (qui fit maniacus, quàm vis aliter existimaverit Gorreus; est etenim Hydrophobia maniæ quædam species *(Interimit autem iste morbus)* qui dicitur λύσσα nempe Rabies (*& canes & quodcunque commorsum est à rabido, præter Hominem*) quem occidit mania, siue particulariùs Hydrophobica denominetur passio. Suppositio igitur hoc principio, quòd Hydrophobia sit quædam species maniæ, nullum est inconueniens in Aristotelis contextu.

PARTICVLA DVODECIMA

SEd aduersus iam determinata aliquæ præcipuè difficultates excitari possunt. Altera quòd μανία competat etiam brutis, cuius rei plurima extant validissima testimonia. Legimus enim apud Plutarchum lib de sol. Anim. ἔχειν καὶ διάνοιαν ἡ φιλεῖ τὸ ζῷον ἧς παρεκβαίνης, καὶ συγχεομένης, ἡ λεγομένη λύττα, καὶ μανία πάθος ἐστί. idest, *discursum habet, & ratiocinationem non debilem animal* (brutũ,) *cuius confusa, & perturbata passio est, quæ dicitur rabies, & mania.* Et Aristoteles eodem 8. Anim. cap 24. dicebat equos domesticos ileo laborantes maniacos fieri, & Aetius canes rabientes maniacos esse dicit. Verùm cũ Plutarchus conetur eò loci persuadere nobis quòd bruta discursum, & rationem habeant; non debet esse mirum si dixerit Perturbationem cognitionis brutalis nominari maniam, quibus enim cõperit ratiocinatrix, iis etiam mania fieri potest. Nec solus Plutarchus credidit bruta discursiuam, & ratiocinantem possidere facultatem, sed longè ante ipsum Pythagoras dicitur diuisisse animam in νοερὸν, & λογικὸν, & credidisse φρένα nempe mentem Hominibus tantùm inesse: νοῦν verò, & λογικὸν ratiocinatricem scilicet, & iam, reliquis etiam animantibus. Quòd verò ad Aristotelem attinet, sciendum est nomen maniæ pluribus modis vsurpari posse: vel scilicet propriè: vel impropriè, idque vel ob sermonis elegantiam, siue claritatem; vel ob alterius nominis defectum. Cum igitur ea perturbatio, quæ competit equis ab ileo laborantibus proprio nomine careat,

Aristo-

Aristoteles est abusus eo loci nomine maniæ, sequens vulgatum vsum loquendi, consuetudo non illi nóua. Nec dicendum est idem fecisse hoc etiam loco, ex eo quòd iam dixerat morbum hunc de quo loquimur vocari rabiem. Quòd verò spectat ad Aetium, ille quoque methaphoricè nomen istud vsurpauit; quo etiam modo ab ipso, & à Paulo ἀφρίωδες canes nuncupantur, quãuis φρένες Hominibus tantùm insit. Id autem fecerunt ad maiorem euidentiam, sunt etenim aliquando notiora valdè ea, quæ contingunt Hominibus, quàm quę brutis. Altera difficultas est quòd apud optimos Auctores λύσσα denotat confusionem discursiuæ, vti apud Sophoclem de flagellifero Aiace, reliquosque plures: imò legimus apud Ammonium in libello de similitudine & differentia dictorum, λύσσα ἐστὶ ἐπίτασις μανίας; scilicet *Rabies est intensa mania*. Et apud Suidam λυσσομανεῖς ὑπομανίας ἀλλοφρονοῦντες idest *rabientes, a mania ad rabiem adactos*; & apud Hysichium λύσσης μανίας. Sed quatenùs ad poëtarum testimonia pertinet, dicebamus & nos quoque in principio huius libelli, Rabiem nõ quidem valdè propriè denotare perturbationem quandam Humanæ mentis, dum excessum iræ adsciscit sibi. Sed id non est quod nos quærimus. De Ammonio verò, eò loci Grammatico, reliquisque eiusdem ordinis, nulli dubium est ipsos demonstrare nobis significationes vocum assuetas Rethoris, & Poëtis. Quòd maius negotium facessere videtur, est Galenum, reliquosque plures magni nominis, morbum hunc in hominibus Rabiem vocitasse. Sed Aristoteles non tenebatur diuinare ea, quæ post ipsum abusus obtinere poterat. Et eo

quidem

quidem magis quo Scriptores isti modò Rabiem, modò Hydrophobiam vocauere morbum: & nihilo tamen minus, dum Hydrophobiæ nomine donatur, rabiei nomen non meretur. Timor namque absque ratione genitus, ad mentem lęsam, non ad iram nimiam referendus venit. Et nos equidem Rabiei non vteremur nomine ad hunc morbum explicandum, si crederemus naturam eius in timore absque ratione genito positam; nisi à medicorum placitis discedere omnimodo vellemus.

Sed si quis tenuat hæc, forsitan veluti nimiùm subtilia. Addat; his omnibus interpretationibus prætermissis, hanc vocem *Præter*, (cui sæpissimè παρὰ respondet) aliquando non solùm non negare, sed supponere aliquid tamquam verum; vti dum dicimus *Præter Homines animantia plurima somniare*. Vndè si neges Aristotelem respexisse eam, quam diximus verborum proprietatem: amabò saltem respicias quid παρὰ denotare valeat genetiuo junctum, & audies: *Cum momorderint rabiunt omnia, præter* (siue dicas vltrà) *Hominem: Interimit autem iste morbus & canes, & quodcunque commorsum est à rabido, præter Hominem*; scilicet nō solùm Hominem, sed & canes & quodcunque commorsum est à rabido. Sed cum disputatio de nominibus parùm medico conducat; liceat postquam pro intelligendis Auctoribus iam satis diximus, ad vtiliora pertransire.

SECVNDA

SECVNDA PARS OPERIS.

PARTICVLA PRIMA.

Vidimus huc vsque bruta, & Homines vexari Rabie: considerandum venit, quibus modis excitetur in Hominibus, vt melius pericula aufugere possimus. Rabiunt igitur Homines quandoque per se soli, non aliter ac bruta, cuius rei testimonium faciunt Petrus Salius Diuersus, Ferdinandus Ponzettus Cardinalis, Eustachius Rudius, nec non alij plures; & ante ipsos Caelius Aurelianus dixerat lib. 3. Oxeon cap. 9. *Est praterea possibile, sine manifesta caussa hanc passionem corporibus innasci.* Et referente eodē Aureliano, Soranus retulit se vidisse infantem, vbera matris expauescentem, & nos quoque vidimus mulierem ad mortem à rabie deductam, absque vlla contagij suspitione. Quandoque verò excitatur rabies in Hominibus, si feroces animantis in rabiem iam adacti manducauerint: vt plurimū verò ex rabientiū animalium morsu. Solet etiam innasci rabies, si carnes fiunt vlceratæ nec ne, madefiant rabidorum spuma, sue

aliquid

aliquid ipsa infectum labijs, & ore contractetur. Sed quòd longè mirabilius est, narratur fieri morbum, hunc in Hominibus si spiritum adducant, dum è directo rabiosus animans in eorum faciem inspiraverit. Qualibet enim causa istarum posita rabiunt etiã Homines, vel modico, vel maiori transacto temporis curriculo; Virus etenim quandoque tamdiù nostram fugit cognitionem, quamdiù intra corpus irrepit, radicesque altiùs figit: Posthæc autem impatiens tenebrarum in lucem prodit, ac de Hominis ratione, & vita crudele triumphum agit; Dum etenim detegitur mentem, & corpora depascit, Delitat quippe vt plurimum æger, & varijs simptomatibus affligitur. Oculos ignitos, & extra prominentes habet, lumen auersatur, facies & ipsa rubet: saliua ac pituita desunt, lingua luteo colore infecta quãdoque extra os porrigitur, sitis maxima accenditur: Respuit nihilo tamen minùs patiens aquam, reliquasque sibi appositas potiones (vnde factum est, vt morbus iste acquisierit nomen Hydrophobiæ, scilicet timoris aquæ) & dùm quis ipsum ad bibendum cogit, potus ad nares resilit, & sti angulatus accidunt, veluti ab eo, à quo non possint permeare fauces. Cibos non admittit vel saltem difficulter: Raucam vocem habet; nec desunt, qui canum vel luporũ more vlulatus, & latratus edant, ac in totum aliquando obmutescant. Sæpiùs totum corpus marcescit, & acri quandoque febri intùs vritur: Aliquando conuelluntur. Quid amplius? maximis cruciatibus vexatur patiens: at mente percitus, & strangulatione ad summũ discrimen ductus non percipit dolores, & nihilo ta-

men

men minùs dies tandem obit. Sed, quod magis est, alios quoque eadem labe, eodemque pacto, quo canis inficit. Nec vnquam visum est eos euasisse, qui aquam exhorruerunt, quamuis à febri macie corporis, & alienatione mentis fuerint immunes. Plures etenim fuere, qui mente, & corporis habitu constantes, febribusque penitus intacti, hoc morbo laborarunt: sed omnes cum ad aquæ fugam deuenere perierunt, vno excepto Themisone, & altero ab Eudemo liberato, pauciſque alijs, si fuere.

PARTICVLA SECVNDA.

ENarrata vtraque historia, considerationisque nonnullis, quæ ad ipsas attinere videbantur; omni studio quærere debemus huius morbi locum & essentiam. Hoc est quod nostram decet cognitionem, & ad humanam vitam subleuandam attinet. Sed cum in difficillimis conducat valdè aliorum sententias ponderare; Afferemus quid senserint celebriores viri, qui nos antecessere, quos in duas series segregabimus: Aliqui nempè in cane cæteriſque brutis rem considerarunt. Alij autem in Homine, quos quidem primò audiendos esse credimus; Hominum namque morbi sunt Medica speculatione digni, non brutorum, nisi id per accidens, & secundariò fiat. Si verò horum referenda placita non sint omnino veritati consona, vel saltem non appareant, tunc ea in medium referemus, quæ de rabie canum reliquorumque brutorum sunt prolata, vt si quid certiùs in ipsis eluceſcat, mens,

ea luce illuminata, penitiora petat: sin minùs, liceat, absque calumnia saltem, ab Historia causſas, & naturam quærere, relictis Auctoritatum nimiùm fragilibus naufragijs.

PARTICVLA TERTIA.

QVicumque igitur naturam atque locum Hydrophobicæ, vt dicunt, passionis determinare sunt conati, non omnes eandem amplexati sunt sententiam. Sunt etenim, qui organicas vocatas partes malè affici putārunt: Quidam verò similares dictas: Nonnulli autem vtrasque. Qui verò organicas lædi voluerunt: vel determinatum locum, eundemque in omnibus designarunt: vel non semper eundem prorsus in singulis quibuscumque affligi crediderunt. Et rursus vel vnicam tantùm partem, vel plures, vel tandem omnes. Asclepiadis sequaces non omnes eandem sunt ingressi viam. Quidam diaphragmati passionem insidere voluerunt; siquidem in eo sit dolor constrictus: Quidam verò stomachum pati dictitarunt, quandoquidem singultus sequatur, & vomitus fellis, & appetentia insatiabilis bibendi; consentire verò membranas etiam cerebri. Quam sententiam secutos esse legimus non solùm Artorium Asclepiadis sectatorem: ied & Artemidorum Erasistrati sequacem: Quibus plures Methodicorum consensere. Cassius verò reliquique multi eusdem Asclepiadis amplexati dogmata, stomachum atque ventrē malè affici putarunt, paruarum scilicet viarum obstructione, etenim bibendi appetentiam

tiam fieri probauerũt paruissimis vijs stomachi, atque ventris; vomitum quoque vtriusque effici passione. At Gaius Herophili Sectator existimauit potiùs cerebrum, & eius membranam primariò pati; quandoquidem voluntario motui inseruientes nerui, atque stomachum colligantes, inde initium sumere creduntur. Ob quam forsitan rationem Democritus (quem inter priscos omnium sapientum proceres antiquiora, & recentiora sęcula admiratione venerantur maxima) credidit morbum hunc esse incendium neruorum, coniciens id ex corporis conductione, & vereteri tetigine. Nonnulli verò, magis oculum dirigentes ad mentis lęsionem, quæ in vocatis Hydrophobis vt plurimum apparet, sub genere insaniæ morbum hunc reposuerunt; in quorum quidem numero Russus præcipuè recensetur, & Eudemus Themisonis sequax; à quibus videtur quasi vniuersa Arabum familia sententiam mutuasse. Nec defuerunt Asclepiadis sectatores quidam, qui & ipsi quoque sibi ipsis persuaserint hanc esse membranarum cerebri passionem; cum secundùm Asclepiadem omnis passio, quæ mentem turbat in ipsis consistat. Sic etiam inter recentiores fuere, qui ob eandem causam cerebrum malè affici putarunt: quorum alter Hyeronimus Mercurialis anteriorem tantùm partem primariò lædi voluit calidissimo siccissimoque vitio: Alter verò Eustachius Rudius, semper mihi laudandus benè meritus Præceptor, à Putrida maligna humiditate caput petẽte morbum hunc fieri comprobauit validissimis rationibus in suo de morbis venenatis, & occultis. Codronchius verò,

cum crediderit rabiei naturam in quadam veneno-sitate sitam, & existimauerit cor omnium venenorum esse metam, atque scopum, quò cuncta spicula primariò dirigant; cor propriè primariò lædi exindè, facillimè concluſir. Magnus autem Ephesius, dicebat omnia, quæ difficultate morus in hac passione afficiuntur pari, hoc est cor, stomachum, Diaphragma, caput, ilia, cæteraque plura. Addebat enim pulsum nõ posse in peiùs commutari nisi præparente corde; nec fieri spirationis difficultatem si diaphragma, & pulmo naturali constitutione maneant, nullo tentata modo; neque tentigine frequentẽ, atque vltra naturã, nisi radio virili in tumorem constituto, sic non posse fieri phantasmata fallentia mentem, nisi laborante capite, siquidem vel in ipso sint omnes sensus constituti vel quòd sensuales viæ ex ipso ad cor referantur. Aurelianus randem persuasus est sibi, omnes, qui ipsum antecessere, fuisse persuasos vera, sed deficiente equidem ratione; voluit etenim præpati partem illam, quæ morsu vexata fuerit, vndè initium sumere passionem nemo negat: pati insuper totum corpus, quod manifestum fieri credidit dum à singulis comprobatur singulas totius partes affici: fieri tamen probabiliùs ex ijs, quæ manifestè Hydrophobicos dictos concomitantur; ex membrorum nempè saltu, raptu siue contractione neruorum, siti, abstinentia, timore, tentigine, & egerendorum retentione: plus tamen stomachum, atque ventrem lædi; cum in ipsis plurima sint accidentia signa, & manifestiora; scilicet singultus, saltus, retentio, conductio, vel contractio, sitis intollerabilis. Sed nihil horum neces-

sariò

fariò ad curationem pertinere voluit; liquidem quocunque loco apparuerit noxa ibidem sit medendũ ei. Essentiam verò sic explicuit, Hydrophobiam esse appetentiam vehementem, atque timorem potus, sine vlla ratione; ob quandam in corpore passionem structuræ vehementem, & acutam; in qua ob animium tumorem, & humoris defectum ægrotantes celeriter interficiuntur. Tumorem verò in Hydrophobis adesse Demetrio quoque placuit. Galenus autem 2. prorit. com. 17. videtur affirmasse solidas corporis partes siccissimo, atque calidissimo vitio pati, quam sententiam ab omnibus antiquioribus amplexatam fuisse tradidit, quod etiam à Pelope eius Præceptore factum refert lib. 5. de simp. med fac. Quo loco aliam ipse videtur amplexari sententiam, ad incognitum scilicet venenũ recurrere videtur. Auicennas videtur existimasse malè affici totum habitum, nec non singulos etiam corporis humores, maligna quadam vratunt, melencolicrate. Areteus verò, contagium forsitan respiciens, determinauit hanc passionem esse vitium spiritus interni, sed cum calidissimum atque siccissimum. Alij quidem Galenum forsitan sequentes ad incognitum venenum facillimè reduxerunt omnia.

PARTICVLA QVARTA.

TOt sunt quæ habuimus aliorũ referenda placita; quæ quidẽ singula ad accidentiũ causas cognoscendas prodesse quidem, sed à vera morbi sede, & natura aberrare credimus. Ea tamen non refellimus, non

est

est etenim instituti nostri aliorum sententias reprobare, sed veritatem tantùm quærere: An ipsam verò attigerimus diudicabunt alij. Verùm nè absque vlla ratione ab aliorum positis discessisse videamur, referemus quibus coniecturis persuasi id fecerimus. Est quidem ab omnibus receptum, in brutis rabientibus vim quandam, vt aiunt veneficam latere, quæ homini communicata, quas iam diximus læsiones atque mortem inferat: At id non quærunt Medici; patet etenim, vt aiunt, lippis atque tonsoribus. Medici officium est, cognoscere, quæ nam sit huius veneficæ virtutis natura; si ad incognitum namque venenum sat esse refugisse, nihil esset magis Medico, quàm idiotæ notũ: Nimiùm confusa latent, iam longum tempus, singula venena sub obscurissima *Incognita, Occultaque* natura. Quærimus lucem, quæ venenum distinguat à veneno, & singulorum singulas demonstret sedes: acuimus oculos ad propriam naturam atque situm cognoscendum; vt indè liceat pugnare, non fortuitò: sed determinata, clara methodo, remediisque certis, è directo viriliter eiaculatis & impulsis. Eum, qui medicæ facultatis non sit prorsus imperitus, decet equidem confiteri morbum hunc esse contagiosum: sed contagium est quid consequens, vnde si ab ipso ad morbi cognitionem deuenire volumus, spiritus pati quidem asseuerandum erit, ijs patientibus in morbis quibuscunque contagiosis: sed optimè perpendendum erit quæ nam sit ista spirituum affectio, & an primaria. Si namque rabies est calidissimum sicciissimumque vitiũ spiritus interni, cur non semper febris, vel alia fortis

pulsuum

pulsuum permutatio? cur tot humiditatis accidentia, pituita è naribus & ore, liquidorum auuersatio, cæteraque talia? cur tam longa quandoque sese propalandi mora? Imò quomodo, secundum communem doctrinam, contagiosus morbus, si contagium, vti dicitur, humiditate viscida fulcitur? Norunt omnes, sanguinē & humores quoque inficī: sed si id fit maligna, vt dicunt melencolicitate, cur melencolici in Hydrophobiam non sæpiùs incidunt? vel cur clariùs non determinatur quæ nam sit huius malignitatis propria præcipuaque natura? cur tot humiditates, sicca existente melencolia, & totum habitum occupante? cur nulla obscurioris coloris in corpore suffusio? Non est qui neget in his, qui morsu vulnerati sunt, aliquo modo præpari partem, quæ morsu vexata fuerit. verùm id etiā rustici cognorunt. Oportet assignare causas, cur quacunque commorsa parte, homines ad aquæ fugam delabantur, non fit etenim cæcitas vulnerato brachio, nec surditas ab oculo ægroto: erat reddenda ratio, cur si pars læsa est illa, in qua, tamquam in propria sede morbus residet, non statim à principio potum respuāt ægroti. Non est insuper cur doceat Magnus Ephesius, omnes partes, quæ difficultate motus afficiuntur in hoc morbo pati, non est enim cur ægrotus, ad id cognoscendum, Medicum accersat, omnibus id equidem manifeste patet: sed non omnes sedem, centrumque morbi norunt. Vnicus præcipuè locus, vnica læsione primariò pati rationabiliter existimari debet, vnico existēte signo, vt aiunt, Pathognomonico. hoc est quòd decet Medicum & expedit ægroto, vt cognoscatur tyrannica

rannica sedes & natura morbi; est etenim ad aliquod vltimum deueniendum tandem. Quem corripit febris, malè quidem habent dolores capitis & lumborum, nausea, vomitus, potus appetitus, abhominatio solidorum; est nè igitur dicendum omnibus hisce locis febris causſam & radicem insidere; aut̃ potiùs quærenda tot riuorum fons, tot florum radix, tot accidentium effectuum causſa? Concedamus & nos quoque in vltimo morbi vigore totum corpus laborare; deducitur etenim ad mortem æger: verùm non concedimus, in singulis quibuscumque membris eundem vnicum affectum; si etenim esset conuersio totius habitus ad calidissimam, & siccissimam non assuetam illis naturam; non tot essent partes humido plurimo scatentes; non tanta adesset humidi abhominatio; nec forsitan Theriaca, reliquisque remedijs calidis & siccis curaretur æger: laborantibus igitur varijs partibus, affectione varia, deueniendum est ad vnicum particulariter locum, & vnicum primarium affectum. Nec videtur rationabiliter asseueran posse partem capitis anteriorẽ siccissimo calidissimoque vitio lædi; non laborántibus quibuscũque ægris phrenitide vel febri: imõ contrà tot apparentibus humidissimi capitis indicia. Quæ simul etiam arguunt rabiem non esse sub neruorum incendio reponendam; & eõ quidem magis, quòd non perpetua visitur conuulsio, sed vltimis tantùm horis, & quòd Democritus etiam ipse iubebat organi decoctum dari, acerrimum decoctionis genus. Si verò morbus iste insaniæ quędam species constituitur, fiat ob cerebri lęsas membranas, vel ob alias à Galenicis excogitatas.

cogitatas cauſſas, oporteret omnes rabidos mente alienatos eſſe, quod falſum eſſe plurimi teſtarunt. Si caput eſt pars primariò læſa, fiat id à putrida maligna humiditate, vel aliter contingat, cur à capite ſignum pathognomonicum non prouenit? non ſunt etenim capitis affectus appetentia liquidorum & eorum fuga, à ſenſu genita. (quamuis quandoque eorum cauſſa à capite prouenias) Non loquimur etenim de illis quę à ratione ſuadentur vel ab imaginatione læſa gignuntur. Sic etiã diaphragmati non debentur: imò nec etiam cordi, niſi quatenus diudicat & vim partibus impertit. Et quamuis plurimi exacto, aquam in pericardio non habuerint, id nihil refert; cum ſæpiùs febricitantibus non rabientibus id enam accidat. Quicunque ſtomachum atque vẽtrem pati voluerunt, omnibus (meo equidem iudicio) antecellere quidem; ſi pro ſtomacho extremã gulę partem intellexere, pro ventre autem ventriculum; cum ijs partibus ſitis & contraria paſſio celebrari exiſtimatum fuerit ab omnibus; nec quaſi vitium ſit, in Hydrophobis vocatis, tàm enarratum accidens; quod vel primariò vel ſaltem ſecundariò & mediatè, vt ita loquar, à læſo ſtomacho naſci non viderimus: Verùm nec ipſi forſitan rem abundè tenuere, velut ex infraſcriptis clariùs forſitan apparere poterit.

PARTICVLA QVINTA.

CVm igitur ex ſuperiùs enarratis, nihil certi videatur ſtabiliri poſſe; non erit abs re forſitan perquirere, an melius hoc negocium determinatum fue-

re ho[illegible], qui in his formam delinendam crediderunt exea, quam in canibus cæterisque brutis obtinet natura. Veri namque simile videtur eiusdem esse conditionis in brutis & hominibus, quo oculum ad contagiũ & accidentia reliqua dirigimus. Vndè non incongruè *cynolissas*, scilicet rabie canina percitos, Andreas nominauit à cane rabido infectos, inque morbum iam adactos. Fuere igitur Antiquiores quidam, qui (referente Alex. 76. prob. 11.) credidere rabiem emoliri canibus, per delibationem quandam aphtæ, arguę influentiam à sydere canicule. Quod idem est ac nihil dicere; oportebat etenim naturam influentiæ propriùs assignare; nec non causam, cur singulis reliquis etiam anni temporibus excitari accidat: & insuper non solùm causas, sed etiam morbi naturam enarrare. Abunde verò, iam etiam loco, vult rabiem fieri per extenuationem & concalfactionem totius habitus & humoris. Sic etiam Auicennas voluit esse conuersionem complexionis ad melancholicitatem maligniam & venenosam. Quibus equidem sententijs ob superiùs enarratas causas & rationes non adhæremus. Plinius videtur quasi credidisse morbum hunc originem habere à vermiculo quodam sub lingua canum latente, cum signa sint macies totius, & morosa quædam propensio ad mordendum & ore conrectandum omnia. Dicebat etenim lib. 29. cap. 5. hist. *Est vermiculus in lingua canum, quod vocatur à Græcis lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt.* Cui quidem sententiæ videtur etiam aliquo modo suffragari Sextus Philosophus, cum in suo de Medicina Animalium cap. 7. te-

statum.

statum fecerit sub lingua canis rabidi reperiri vermes. Sic etiam Columella dixit, canes non fieri rabidos si quadragesimo die, quam sunt nati, morsu cauda, summusque eius articulus auferatur, sequenti nervo exempto: Verùm cur non rabiunt omnes quibus non ademitur vermiculus nec amputatur cauda? Præterquam quòd id est potiùs causam quærendam, eamque remotam, quam naturam & essentiam designare. Galenus, cui Salius assentitur, 6. de loc. aff. cap. 5. ab insigni humorum putredine & corruptione rabiem provenire asserit, quæ sit veluti internè genitum venenum, quod membra principalia petens, venenosa facultate, rabiem atque mortem inferat. Sed quæ nam est huius putredinis præcipua natura? quem proprium focum obtinet? cur non semper febris adest? Philippus Auteolus, quem Theophrastum Paracelsum dicunt, tentavit insinuare nobis demonio exagitari canes, & indè fieri rabidos. At hæc non mediocre sed altioris speculationis extant. Sunt qui id totum referant serpentibus exortis in renibus brutorum; sed si dissecentur animantes rabidi, nihil tale apparebit, nisi quandoque in quibusdam, aliam ob causam, id accidat.

PARTICVLA SEXTA.

EN quàm variæ, & quàm parùm inter se concordes extent Auctorum magnorum nominis, hac de re, sententiæ; Non videatur ergo mirum si nos, non spretis quidem aliorum placitis, sed ab ipsis non satis persuasi, negotium nova speculatione dignum credidimus.

Quod quàmuis plurimas, illasq; magni ponderis difficultates habeat, facilius forsitan assequi licebit, si parognomonicum, vt dicunt, huius morbi signum speculandum supponamus; vt exindè, eius præcepta cognitione, quasi altero Ariadnæ filo, inestricabile labirinthum progredientes ad monstrosi morbi sedem & naturam cognoscendam atque debellandam deuenire liceat. Signum igitur proprium rabidorum nihil aliud existimatũ hucusque fuit, quàm aquas reliquasque singulas potiones non recipere. Videndum ergo primò, an id propriè contingat ratione mentis: an ab alia potiùs caussa. Ruffus, referente Paulo, id retulit ad insaniam exatra bile genitam, cuius quidem propriũ est patientibus quarundam rerum ineurere timorem; Verùm iam diximus, non omnes rabidos mente lædi. Amplius nimiùm vniuersalis hæc ratio foret; cur etenim omnibus prorsus rabientibus idem liquidorum timor? Huius particularis timoris erat reddenda ratio. Fuere equidem nonnulli, eodem Paulo referente, qui hac insaniæ non relicta via, vlteriorem caussam inuenisse crediderunt; enarrantes, rabidos opinati se se cernere in aquis spectrum canis, à quo commorsi fuerant. Quæ sententia non affirmatur a Paulo, fuisse Ruffi, vt perperam Hyeronimus Mercurialis & plures alij nè dicam omnes credidere: sed illam ab hac non discrepare referebat Paulus; quòd scilicet ambæ recurrant ad insaniam. Non negamus equidem quãdoque posse rabidis contingere vt opinentur simulacra & fallentia visa canum: sed id non semper fieri dicimus, quamuis aquam & potum omnem renuant. Quærimus insuper

rationem

rationem cur in parietibus conſpurcatis non imaginentur ipſa? cur tantùm in aquis, reliquiſque liquidis, & pellucidis? Cur omnes aquam & reliquas potiones arceant, lædantur mente, ſiue conſtent? ſint à cane lupo, felle alioquè bruto rabiente læſi? ſiue illis ab externo principio excitata rabies, vel etiam ab interno, nulla concurrente infectione? Erat reddenda ratio, cur fugiant aquam animantia bruta, per ſe ſola in rabiē acta, abſque vlla exteriùs aduentantis contagij ſuſpicione. Verùm non eſt cur pugnemus coniecturis, experientia id totum oppugnante, quandoquidem complures, qui iam reformidabant aquam, interrogati, num quid tale aliquid appareret illis; nihil tale ſe videre reſponderunt; veluti etiam Fracaſtorius, & poſt ipſum Præceptor noſter Rudius optimè notarūt. Imò quidam ſunt viri eriùs faſſi, ſe agnoſcere naturalem, & conſuetum aquæ liquorem; nihilo tamen minùs ipſo commoueri adeò, vt bibere non valeant; veluti etiam teſtatum fecerat Aurelianus lib. 3. Oxeon cap. 11. tàm ex propria, quàm ex Sorani ſententia. Nec eſt cur dicant aliqui, nō eſſe fidem ægrotis adhibendam, quòd inſania laboret. eum qui deſipiunt eò magis id deberent confiteri; quandoquidem inſani, morosè nimiùm & ad extremam vſque nauſeam, ſermonibus inculcant quæcunque apparent illis fallentia ſpectra. Dicant amabò, quonam medio nouerint hæc phantaſmata rabidis accidere? Mihi equidem, eorum quę in corde extant, verba ſolent eſſe notæ. Forſan iſti acutiore quàm lyncis oculo donantur. pectus penetrant illesè, inibi quęcunque abſcondantur concepta imaginata adamuſſim ſcru-

tantur

rantur & inueniunt: Sed intelligant hoc etiam, non singulos quosque rabidos desipere: imò amplius, eos qui iam capti mente fuerant, quandoque nón solùm non timuisse canes, ne eorum spectra dicam, verùm in illos irrupisse potiùs, & inflixisse morsus, veluti quendam Athenienſem sibi retulisse dixerat Soranus, id nobis referente Cælio. Nonnulli (vt forsitan hęc incommoda vitarent) aliam inuenere viam, asserentes, veluti apud Aetium legimus, rabidos in aquis reliquisque singulis nitidis & perlucidis, aspicere propriã faciem rubicundam, torueè intuentem, atque ira plenam; talique ratione fieri grauiorem perturbationem atque fugam. Quod, mihi equidem, videtur potiùs ad placitũ quàm secus dictum, nec vlli, nisi nimiùm facili, coniecturæ uni; respuentibus ægrotis istis etiam turbidas potiones, in quibus idola nõ fiunt, & existente eorum forma non adeò, vt aiunt, immutata ac terrore plena. Galenus vel quicunque fuit Auctor lib. de Theriaca ad Pisonem & ipse quoque id videtur ad mẽtem læsam retulisse; edocendo, rabidos à potu abstinere, quia mente alienati id quod auxiliari possit non considerant; Sed oporteret etiã singulos quoscunque rabidos mente deturbatos esse, & eodem quoque pacto omnes reliquos insanos determinatè aufugere quodcunque nõ considerant illis auxiliari posse, quod magis in rabidis mirandum foret, siti ad potum ipsos alliciente plurimùm. Eustachius Rudius cùm crediderit rabidorum affectionem esse à venenata quadam humiditate caput insidente; rationabiliter videtur asseruisse, ab humidionibus venenum id efferari magis; quod veluti ani-

mali

mali faciat inimicum, eiusque domicilio residens, facillimè liquidorum omnium abhominationem atque metum augeat, imaginationem ipsam deprauando; eoque facilius, quò stomacho cerebrum acutissimè consentit. Hoc autem si foret non læderentur ægri ab ardenti, vt aiunt, destillato vini liquore, quem aquã vitæ vocant: Imò quòd magis est potiones non appeterent, quod faciunt auidissimè, quamuis potare nequeãt. Aliud igitur quàm timor certè latet, cuius causa potum ægri respuant, Nec nos conturbent Hydrophobiæ, Hygrophogiæ, Phobodipsiæ imposita cognomina, siquidem videtur potiùs audiendus Polibus, qui Pheugidriam, scilicet aquæ fugam, hunc morbum cognominandum voluit; quandoquidem proprius sibi caracter non est liquidorum timor; quod etiam nouit, litterisque mandauit, inter recentiores Petrus Salius Diuersus, cui Codronchius etiam assentitur hac in parte Erit igitur nè simplicitet abhominatio, veluti narratur omne genus piscium aduersari eos, qui lepus marinum comm[illegible]derunt, & graudas mulieres variaciborum genera renuere videmus? An forsitan, quemadmodum Cæsalpino placuit, abhominatio dici non meretur, ægris potum appetentibus? Erit ergo fuga, genita ob causam iam acceptæ læsionis; quod Gallio, Cæsalpino, Salio, & Mercuriali quoque placuit Sed inquirendum superest quo nam modo & quo loco generetur læsio; & cuiusnam naturæ & conditionis extet. Sunt qui totum id aridítati adscribendum censeant; quasi in contrarium habitum sit penitùs mutata natura rabidorum: Sed id etiam ecthicis accideret, non esset

cx

ex istorum dogmate, cur sitirent, vt impensè facere confirmant. At superiùs hæc atriditatis suppositio videtur nobis iam concussa satis; Nec Russi auctoritate quis ipsam fulciendam putet; non est etenim hæc sententia Russi, vt nonnulli crediderunt, ex malè intellectis Aginetæ verbis, & Auicennas ex non fideli forsitan interprete.

PARTICVLA SEPTIMA.

QVicunque igitur vlteriùs & distinctiùs rem cognoscere desiderat; assequetur forsitan, dum cognitas læsiones, si quæ sunt, à potu genitas expendet; & indè incognitas rimabitur. Diximus in historia, quæ veritati consona frequenti Auctorum testimonio comprobatur, rabidis, dum bibere coguntur, potum ad nares resilire. Quod non est asseuerandum ab oris vitio prouenire, cum accidat quandoque nulla existente conspicua oris læsione: imò adhuc etiam optimè vigente virtute contrendi & deglutiendi solida, quæ magis os lædere deberent. Alias igitur nunc perquiramus partes. Non est equidem credendum id ab ore stomachi pronasci, si quidem nō fieret eodem tempore situs & appetentia potus, quo fugæ cogitus. Nec in reliquo ventriculo dicenda læsio, nondum illuc penetrante potu. Erit igitur in via impedimentum, quod appares probabilius, ex eo quòd plures quidem rabidi interrogati, cur non biberent, affirmarunt potulentum nec posse penetrare nec permeare fauces, ob eorum magnam angustiam & constrictionem. Quod etiam

Saltus

Salius affirmauit; cui hac in parte consentiens Cesalpinus dixerat, *Quasi affectio quadam sit in instrumentis ad deglutitionem humidorum facientibus:* & alibi addidit eos cõuelli, vt contingit quibusdam anginosis, si tentent deglutire potum. Addamus insuper, eos, si quandoque potant, strangulari, & quandoque mori, veluti etiam Auicennas quoque nouit. Adnotemus tandem Petrũ Salium cõspexisse gulam rabidorum multo crudoque phlegmate repletam, quod & nos quoque vidimus quandoque. Sed hæc quidem omnia non nè sunt anginæ signa? Videntur equidem. Vndè non possumus non mirari non solùm omnes hac de re Scriptores, verùm inter alios præcipuè Cesalpinum atque Salium; qui, Natura ipsa demonstrante, ea omnia viderint; & nihilo tamen minùs, quasi nimia cęcutientes luce, essentiam & naturam morbi non cognouerint. Noua forsitan, & prorsus omnibus destituta rationibus, hæc nostra existimabitur sententia: Sed qui paulò altiùs nobiscũ rem considerauerint, non per indè (vt credimus) aspernabuntur ipsam, quamuis forsan aliquo modo nouam & inculram; Cum etenim ostenderimus, eadem animalia laborare angina, quæ afficiuntur rabie, ijsdem prorsus temporibus, ijsdemque causis excitari, & eadem prorsus omnia esse rabiei & anginę signa; simul etiam ostenderimus, rabiem nihil aliud, quam auginam quandam esse. eoque facilius, dum si quæ aderunt, remouebuntur difficultates.

TERTIA PARS OPERIS.

PARTICVLA PRIMA.

SEd valdè utilis tentabitur hæc prouincia, dum priùs cognouerimus, quid sit angina, quot habeat differentias summum eius genus segregantes, vt ijs probè cognitis, facilior ad veritatem pateat aditus; Non sunt enim hæc adeo forsan clara, quin maximis sint inuoluta difficultatibus, ob Auctorum nō spernendi nominis decreta. Narrabimus ergo priùs quid nam de illius essentia dixerint Antiqui, quomodo mutuem dissentiant, & alter alterius placitum euertat, quasque difficultates habeat illorum singulum, & quid nobis tandem, Natura suadente, videatur retinendum. Auctor introductorij dixit anginam esse inflammationem suffocantem, quę circa verticem à bile fit & pituita salsa Sic Galenus 4. de victus rat in morb. Ac com. 20. dicebat, esse phlegmone partium, quæ in faucibus extāt. & 40. inflammationem partium, quæ in gutture: Apud Alexandrum legimus lib. 4. Veteres Medicos magna ex

parte

parte pro angina intellexisse omnem inflammationē, quæ circa gulam siuè intùs, siuè foris minatur suffocatum. Sed Alexander, veluti laudandus est ex eo quòd locum ampliauerit, sic etiam nobis videtur defeciſſe, quòd inflammationem pro genere receperit, quandoquidem potest angina fieri à scirroso frigido tumore, à lapidea superfluitate in partibus gutturis genita & contenta; à nimia pituita, quæ à capite delabens fructibus adhæreat & impingatur, vt alias prætermittā causas. Asclepiades, referente Cælio, credidit esse humoris fluorem, siue humectationem faucium vel summitatū ipsarum, sæpissimè ex capite accidens. Autchianus acriter reprehendit, asserens omnem humoris fluorē, rheumatissima vocarum multi liquoris esse lapsum, siue egestionem: in anginosis verò tumorem esse necessarium. Et deficienter equidem id præstitit Asclepiades, si eius institutum erat definire vniuersaliter anginam: Si verò (quemadmodum nos credimus) quarundam specierum causas describere, non perinde quidem reprehendendus erat; quippe legimus apud Hyppocratem lib. 2. de morbis. *Angina autem oritur quando in capite commota phlegmata confertim deorsum fluxerit & steterit in maxillis & circa ceruicem.* Vnde forsitan, & non incongruè Iulius Pollux dixit Cynanchen, esse suffocationem noctu factam, descendente in gutture humore denso & lubrico: cuius quidem causæ meminit idem maximus Hyppocrates libro de ratione victus in morbis acutis. Et Galenus 3. Aphor. com. 16. & 22. item 6. com. 2 & lib. 4. com. 34. vbi forsitan & Asclepiades. Et quatenus ad tumorem attinet, non est inconueniens ab humidi-

tate præsertim pituitosa tumorem facit, quod si quis magis auctoritatibus quàm Naturæ credat, adeat Galenum 4. Aphor. com. 34. Sed Asclepiadem dimittamus, non habemus etenim ab eo conscriptos libros: videamus quid eius reprehensor Cælius hac in re statuerit. Dicebat ipse, anginam esse difficultatem transuorandi, atque perfocationem peracutam, ob vehementiam tumoris faucium, siue in locis, quibus nutrimenta transuoramus. Verùm perfocatio & transuorandi difficultas anginæ sunt effectus, non angina, vnde optimè dicebat Ennius *Vellem me anginam vertere, vt fauces hunc anicula præoccuparem*, propterea quod, veluti etiam Galenus adnotabat com. 2. primi pror. 53. Angina suffocans est, eũ ab ipsa suffocentur homines, vt etiam Hyppocrates scribebat lib. 3. de morbis. Vndè nec Areteus in hoc audiendus venit dicens ἡ συνάγχη κατεξυμέν τι πάθος, ἀναπνοῆς γάρ ἡ πίεσις ideſt, *synanche peracutus quidem affectus* (est). *spiritus etenim compressio est*. Sed cum celebriores Viri consueuerint reponere quandoque effectum loco ipsius causæ, videamus an in reliquis Cęlij, & Aretei positiones recipiendæ veniant, à Cęlio exordium resumentes. Et equidem non videtur nobis omne tulisse punctum, quandoquidem sunt nõnullæ anginæ, quæ absque tumore fiunt: imò cum organorum collapsione, ob nimiã scilicet exiccationem vel intrinseci musculi gutturis (quod Galenus etiam adnotabat 4. Aphor. com. 34. & 39.) vel epyglottidis, quod Auicennas docuit nos cap. de signis anginæ. Hinc melius hac in parte factum credimus ab Areteo, asserente anginam esse quidem spiritus cõpressionem,

sed

sed vel cum instrumentorum spirandi phlegmone: vel ob solius spiritus interni calidissimum siccissimúque vinum, cum insigni macie & collapsione partium. Sed cum plura sint organa spirandi; explicat se se magnus ille Vir quæ nam intelligat; enumerans epyglottidem, tonsillas, fauces, columellam, summamque arteriam. In quibus & ipse quoque videtur forsitan parum peccasse. Si namque effectum pro caussa reposuit, cur & difficultatem transuorandi non addidit? Insuper nõ quodlibet dictorum instrumentorum phlegmon angina dicitur, nempe tonsillarum & columellę, quamuis difficilem spiratum pariant & citò suffocent, dummodo solæ extent. Vndè Hyppocrates 2. de Morbis anginam ab vua, ac tonsillarum morbo non semel segregauit, quod etiam ab Aureliano tentatum visitur, & Auicennas præstitit, imò & Aretæus ipse. Ampliùs non est semper phlegmon vel macies à spiritu calidissimo: sed quandoque fieri potest à phlegmate, vti diximus, vias tantùm occupante, à scirro, & à calculo, nec non à resolutione epyglottidis, vel gulæ, nulla existente inflammatione, vel macie siue collapsione à spiritu calidissimo & siccissimo. Adde quòd nõ solùm dicitur angina phlegmon illud, quod summam occupat arteriam, sed etiam quod infimam vel mediam, quamuis non possit per se immediate (vti adnotabat Galenus li. 4. Aphor. 34) repente suffocare. Et sic etiam quod gulam afficit. Auctor Definitionum medicarum videtur longè meliùs determinasse, anginam esse affectum colli acutum & difficilem, qui ægrotum angit perfocatione: Sed nec ipse forsitan totam

aperuit

aperuit rei naturam; fit etenim aliquando angina in pectoris cauitate, in ea scilicet asperæ arteriæ parte, quæ ad pulmones desinit; vnde euenit quandoque quod etiam Galenus adnotabat 6. de Morbis vulg. com. 2. 13. anginam scilicet in pleuritidem mutari. Sic etiam quandoque prouenit in ea gulæ parte, quæ iam vltra collum ad ventriculum deducitur. Nec semper est acutus affectus existentibus quibusdam anginis à sero toso vel calculoso tumore, longum admodum tempus perdurantibus. Et habemus apud Hyppocratem 2. epyd. quibusdam cynanchicis tumores non solùm quadraginta dies, sed valdè longum tempus perdurasse, cum vocis & deglutitionis lesione. Quod etiam Galenus in com. eius loci confirmabat, addens huiusce modi ægrotis adfuisse tumorem ex frigido, crudoque humore; Quibus sic stantibus concludendum credimus, anginam inter acutos morbos non semper esse reponendã. Non tamen reprehendendus erit Areteus vel Aurelianus, cum dixerit vterque, anginam esse peracutum morbum; cum ijs locis loquti sint de ipsa tamquam de acuto morbo, alecta destituta speculatione, secundum quam longum vitium dici potest. Sic etiam Regius morbus, qui aliquando acutus extat, ab Areteo in 2. Cron. tamquam sub diuturnorum considerationem cadens examinatus fuerat. Sic & morbus comitialis modò sub vna modo sub alia temporis ratione. Videntur igitur omnes defeciſſe, qui naturam anginæ determinare tentauere, vel in genere assignando, vel in suo iuxta loco, vel in vtroque, vel tandem constituendo tempora. Sed nè perperam accipias. Antiquorum etenim

nim notitiam [illegible] verùm doctrinam exactiorem quærimus. Solet sæpiùs namque exactissima rerum cognitio parere quandam in docendo negligentiam vt ita dicam.

PARTICVLA SECVNDA.

His igitur sic stantibus non erit equidem incongruum, relicta nimiùm fragili Auctoritatum cymba, nauem ingredi Naturæ: Et cum nomina non sint sancita absque vlla Naturæ lege, videamus primò an saltem viam quandam ad hunc morbum cognoscendum intueri liceat ex resolutione nominum illius; vt indè forsitan acceptis etiam nonnullis, quæ perpetuò illi insunt, quod remanet facilius acquiratur. *Angina* igitur Latinis à verbo *ANGO* quod est *Premo* atque *constringo* dicitur: A Græcis vero ἀγχόνη nominatur, vel à verbo ἀγχῶ scilicet *CONTINERE*, cum spiritum continendo neget, vel à ἄγχω scilicet *NOCEO* & ἄγχω, cuius duæ præcipuæ significationes extant, altera strágulandi (scilicet strangendi gulam) altera verò suffocandi. Angina igitur, si nomen inspexerimus, nihil aliud est quam morbosa quædam noxia adeo premens atque constringens gulam vel asperam arteriam, vt suffocare & strangulare valeat. Vndè vnica eademque voce morbum hunc & suspendium Ἀγχόνην Græci vocauerunt. Ex quo quidem nomine illud etiam videtur declaratum, quod morbus iste non aliter ac laqueus occidat: vndè vlcera quę in faucibus & œsophago proueniunt, quamuis abnegent alimentorum transitum,

anginæ

anginæ non dicuntur, nisi obstructio vel angustia fal-
tem accidat. Sic etiam reliqui quicunque morbi vltra
asperam arteriam & œsophagum existunt, ab angina
prorsus separandi veniunt; quamuis abnegent alimen-
torum spirituumque transitum. Si namque æger non
possit respirare & alimenta sumere, impediente poly-
po ad extremam vsque magnitudinem adaucto, siue
linguatumefacta ad omnem oris amplitudinem, non
equidem cynanchius dicetur; nec insuper, si tonsillæ
& columella insimul, vel seiunctim inflammẽtur adeo,
vt hominem perinde perimant, abnegantes alimenti
spiritusque transitum; dumodo aspera arteria & gula
prorsus reseratæ maneant. Sic etiam si diaphragma vel
pectus reliquum, siue quæ in ipso colloeantur (excepto
asperæ arteriæ stipite) suffocationis causſam in seipsis
habeant, alios morbos non cynanchen gignunt. Nec
aliter contingit dum in ventriculo impedimenta trans-
uorandi fiunt, gula manente prorsus libera. Ex his in-
super apparet, Anginam esse nomen quoddam (vt di-
cunt) æquiuocum; amplectitur etenim læsionem non
solùm asperæ arteriæ; verùm etiam & œsophagi. Dixim-
ctiùs igitur posthac vtraque affectio definienda venier.
Et altera nihil aliud erit quàm obstructio vel angustia
morbosa eius partis asperæ arteriæ, quę à faucibus ad
pulmones vsque pertinet, difficilem spiratum reddens
& opta suffocatum gignere. Altera verò erit morbosa
obstructio vel constrictio gulę, apta impedire alimen-
torum transitum. Si quis verò vnicam vtriusque descri-
ptionem optet, poterit non incongruè asserere, Angi-
nam esse morbosam obstructionem siue restrictionem
vtrarum

viatum vtriusque primi alimenti, quæ à faucibus ad pulmones vel infimam vsque gulam pertinent, deglutitionem & respirationem impedire potentem; est etenim alimentum primum non solùm quod potatur & cõmeditur, verùm quod inspiratur etiam; hoc etenim alimentum spirituale Hippocrates vocauit lib. de Alimento. Insuper vocabitur angina vnumquodque morbosum vitium potens gignere obstructionem vel angustiam asperę arteriæ, vel œsophagi; velut etiam diximus eclipsim solis esse interpositionem lunæ inter nos & ipsum solem: quamuis propriùs loquendo sit impedimentum luminis solaris ob interpositionem lunę inter nos & ipsum solem. Quę omnia quantum veritati consonent, poterit vnusquisque recognoscere ex Antiquorum scriptis & Hippocratis præsertim; non est etenim apud ipsum (quòd nos sciamus) vsurpatum vnquam anginæ vllum nomen, nisi pro obstructione vel angustia gulę vel asperę arterię, vel pro morbo ipsas facientes.

PARTICVLA TERTIA.

DEterminata vniuersali Anginarum Natura, videndum est in quot qualesque species dixtinguatur; vt indè colligamus, quodnam sit genus illud, de quo nos loquimur. Valens Physicus (referente Aureliano) tali pacto rem diuisit. Angina vel est sine manifesto tumore, quã sine particulari nomine reliquit: vel cum manifesto tumore; cui varia nomina, secundùm varias loci differentias adaptauit. eam scilicet, quę

vtramque partem occupabat, nempè dexteram & sinistram *cynanchen* nuncupabat: illam verò, quę alteram partem tantùm, *Paracynanchen*. Eam, quę in exteriori colli parte erat ad dexteram & sinistram, *hyanchen* appellauit. Illam, quę interiùs & exteriùs dextras & sinistras partes detinebat, proprio nomine *synanchen* nominandam voluit: eam tandem, quę in altera tantùm parte, interiùs & exteriùs residebat, *Parasynanchen* dicendam esse credidit. Paulus Ægineta aliter rem distinxit; vocauitque *synanchen* anginam eam, quę fit internis musculis fauciũ inflammatis: *Parasynanchen*, quę externis oritur. Sic si interni musculi gutturis inflamentur, *cynanchen* nasci voluit: si verò externi *Paracynanchen*; cuius quidem distinctionis Alexander quoque meminit. Iulius Pollux Anginam in tres species videtur distinxisse in ἀγχόνην, συνάγχὴ & κυνάγχην. Vocauit *cynanchen* putridum apostema inter epyglottidem & radicẽ linguę: *synanchen* verò vehementem & dolorosam inflammationem circa fauces & epyglottidem: *cynanchen* tandem suffocationem noctu factam ob defcẽdentem in gutture humorem densum lubricumque. Arereus duas tantùm Anginę differentias fecit: vel scilicet cum phlegmone instrumentorum spirãdi: vel cum insigni ipsorum marcie & collapsione; Quę secunda species plurimas in se difficultates retinet; fuere nempe qui crederent in ea semper phlegmonem abditum esse internorum partibus, circa cor atque pulmones; quod Areteo non videtur semper placuisse; volunt enim hanc anginam, quam *cynanchen* nominat, esse vitium solius spiritus, prava conuersione ad siccissimum &

cali-

calidissimum conuersi, nulla corporis parte inflammata. quam sententiam non semper firmiter tenuere visus est, cap. nãque 7. eur auct. voluit in *cynanche* pulmonem inflammatum esse, interq; numque adesse tumorem Galenus verò 4 de locis aff aliam refert, ex aliorum sententia, diuisionem, quam veluti mancam videtur reprobasse, addendo alias etiam species.

PARTICVLA QVARTA.

CVm tot igitur, tàmque variæ extent hac de re sententiæ, rationabile videtur vel omnes, vel saltem plurimas à veritate discessisse; vnica nempè tantùm veritas consonare potest. Non sit ergo mirum si nnuam nos quæramus diuisionem: Sed ne nos quoque in errorem incidamus, optimum quidem erit distinguere naturas, non accidentia, vt reliqui forsitan fecerunt. Dicebamus igitur iam superiùs Anginam esse nomen quoddam æquiuocum: vndè primò duo genera recognoscenda veniunt. Alterum quippe læsio gulæ: alterum verò asperæ arteriæ. Cum verò ea angina, quæ est asperæ arteriæ vitium, nihil aliud sit, quàm angustia, vel obstructio asperæ arteriæ, quę a faucibus ad pulmones pertinet, difficilem spiratum reddens, & apta suffocatum facere; tot erunt eius primæ species, quot primi modi obstructionis vel angustiæ: Cum verò duobus tantùm modis fieri possint; vel scilicet ex proprio vitio asperæ arteriæ, vel ex vitio circumpositarum partium; duæ tantùm erunt primæ differentiæ, siue dicas species. vitium verò proprium vel est cum tumore; vel absque

tumore. Tumores & ipſi ſunt vel cum inflammatione: vel abſque. Cum inflammatione ſunt vel ſanguinei, vel bilioſi, vel pituitoſi, vel melencolici; vel alterius cuiuſdam ſimplicis humoris, ſi quis alius datur, vel tandem mixti Sine inflammatione ſunt vel calculoſi, vel meleneolici, vel pituitoſi, vel pituita ipſa cruda & frigida organum infarciẽs, vel ab alteto, ſi datur, humore tumor. Altera vetò angina, quę abſque tumore prouenit ob proprium vitium aſpetæ atterię, vel eſt ob nimiam ſolam ſiccitatem, vel ob eam caliditati iunctá: vel ob decidentiam & collapſionem. Illa autem angina quæ fit in aſpeta arteria ob vitium circumpoſitarum partium & ipſa eſt vel ob tumorem comprimentem; vel ob conuulſionem, vel ob vim motricem epiglottidis deperditam: ſiue alterius cuiuſdam partis. Tumor autem, vel ex luxatione vertebrarum, vel ex humorum ſingulo: ſiue ex pluribus commixtis; & modò cum inflammatione: modò ſine ipſa. Et conuulſio vel ob tumorem, vel ob ſiccitatem: vel ob vapores irritantes. Et tumores vel ob humores ſimpliciter, vel ob vulnus. Partes autem iſtæ ſunt vel internæ, vel externe & ſunt vel muſculi, vel nerui, vel arterię, vel venę; quę & ampliores & ſubtiliores extant, vel oſſa &c. ſuntque vel apparentes vel abſconditæ; quarum numerum & naturam vnuſquiſque ex diſectionibus accipiet. Alterum vetò anginę primum genus, quod eſt gulę vitium (cum ſit obſtructio vel anguſtia illius partis deglutitionem impedire potens) tot primas obtinebit ſpecies, quot ſunt primi modi obſtructionis & anguſtiæ: cum verò duobus tantùm modis fieri poſſint, vel

ſcilicet

scilicet ob vitium gulę, vel circumpositarum partium; duę tantùm eius primę species erunt. Vitium verò proprium erit vel cum tumore, vel absque tumore. Tumores & ipsi diuersi generis ex diuersitate humorum exeant, siue ex diuersitate reliquarum materierum, & ex inflammatione presente, vel absente. Sine tumore verò fit vel ob nimiam siccitatem partis vel ob conuulsionem, vel ob paralisim, aliouè quodam modo vim illius organi deperditam. Angina verò illa quę fit ob vitium circumpositarum partium vel alio modo communicantium œsophago; fit vel ob vitium laringis, vel extremę partis palatus & sic deinceps. Si uerò ab effectibus diuisiones optes; non incongruè dixeris, si dixeris in omni angina fieri difficultatem, uel respirandi, uel deglutiendi, uel tandem actionis utriusque. Siquè diuiseris difficultatem deglutiendi penes fluida & penes solida, uel tandem penes utraque. Tandem si magis accidentales differentias ames, memorię poteris recolere, unamquamque angustiam, uel obstructionem asperę arterię uel œsophagi esse uel in principio, uel in medio, uel in fine, & esse uel leuem, quam *Paracynanchen* Hippocrates cognominat: uel fortem, quam *cynanchen* dicit. Rursus esse uel cronicam, uel acutam: & acutam esse quę intra quadraginta, uel sexaginta dies ad summùm terminatur: Cronicam uerò, quæ tale tempus pertransierit. Habemus etenim ab Hip. lib. Pręn. *Bonam autem spirationem valdè magnam vim habere ad salutem in omnibus acutis morbis putare conuenit, qui cum febribus sunt & in quadraginta dies iudicantur.* Et in lib. de Diebus Iudicatorijs. *Ex his autem acutis quedam etiam trigesimadeinde*

deindè quadrageſima, poſtea ſexageſima: Cum verò hos numeros exceſſerint, diuturna iam febrium conſtitutio eſt. Ex quibus clariſſimè apparet, terminos quadraginta, uel ſexaginta dierum inter acutos ab Hippocrate connumerari; quamuis Galenus 2. Aphor. com 23. non crediderit ultra quadrageſimum diem acutos morbos progredi. Amplius poteris anginam diuidere; quòd alia ſit cum febri, alia ſine febri: quędam cum delirio, quędam uerò abſque delirio, & ſic deinceps.

QVARTA

QVARTA PARS OPERIS.

PARTICVLA PRIMA.

HÆc sunt ea, quæ ad anginarũ naturam & differentias attinent. Rabies verò quàmuis & ipsa plures in se species habeat, non est tàm amplum earum que genus. Est igitur videndum, quænam angina sit quæ Rabies dicitur; quod forsan facilè colligemus, dum proprium rabiei signum ad memoriam reuocabimus. Diximus superiùs, id rabidis proprium esse, vt pòrulenta deglutire nequeant: siquè tèntent: vel potum ad nares resilire: vel ægros strangulari. Considerandum ergo venit qua ratione fiat vt in quibusdam synanchicis difficilis potus fiat? In quibusdam verò difficilis deglutitio. Methodicorum plurimi crediderunt in stomacho, scilicet in infima gulæ parte, ac in ventriculo, fieri famem atque sitim: illam quidem quadam constitutione parua rum viarum: hanc autem maiorum. Vnde secundùm ipsos, patientibus paruis ijs viis, potus abhominatio sequitur: Verùm nos hoc loci non concedimus vel negamus

gamus id sic fieri: Sed asserimus, stante eo principio nō posse fieri sitim & appetentiam potus eodem prorsus tempore, quò fuga suadetur. Quòd ipsi verò sub nomine stomachi intelligant infimam gulæ partem, quæ ori ventriculi coniungitur, optimè apparet ex 8o. prob. Cassij. Nec id nouum existimari debet; Habemus etenim ab Hip. lib. de corporum dissectione ὁ σιτοφάγος ἀπὸ τῆς γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιούμενος ἐς κοιλίην τελευτᾷ, ἐν δὲ τῇ ἐπὶ σπλάγχνοισι κοιλίῃ σίμαχον καλέουσι, id est *Gula verò, à lingua principium faciens in ventriculum desinit, quàm sanè etiam iuxta putrefacientem ventriculum stomachum nominant.* Alij verò credidere id cynanchicis accidere ex dispari pondere, & soliditate ciborum & potionum; quod & nos quoque magnam vim habere credimus: sed si alimentorum actio tantùm spectanda venit, cur non semper anginosi densiora deuorant facilius? Aliqui id fibrarū constitutioni tribuunt, aiunt quippe internos rectas gulæ fibras deglutiendi potus inseruire: externas verò transuersas deglutitioni solidorum; Vndè aiunt, patientibus internis fibris gulæ, difficillimè posse ægrotantes potum sumere. Nos hoc loco non negamus nec asserimus has actiones à diuersis fibris prouenire: Sed asserimus vidisse ægrotos, qui difficillimè solidā escam deuorabant, imò sæpiùs non poterant assumere: Liquidam verò siue dicas fluidam facillimè recipiebant; & nihilō tamen minùs horum aliqui laborabant interno gulæ tumore, eoque inflammatorio. Alij verò leui internarum fibrarum excoriatione vexabantur: & nonnulli graue earundem partium vlcere.

PAR-

PARTICVLA SECVNDA.

CVm igitur ab ijs, qui nos antecessere nihil certi videatur stabiliri posse; non erit equidem incongruum, vt ex Natura ad rimari nos tentemus. Pluribus ergo modis videtur potus impediri posse, vigente adhuc libera facultate deglutiendi solida. Alter modus erit ratione abhominationis, quæ potest progigni vel ab intensa humida qualitate, stomachum alterante, vel à frigida humidaque materia, ipsum occupante; in quo quidem casu accidit sitim vndequaque extingui. Sed cum rabidi valdè sitiant, hac ratione potum non abhorrent. Alter modus est, quotiescumque palati extremæ pars postica inflammatur, tunc enim tempore potus deglutiri nequit, vel saltem difficulter, quin ad nares potiùs resiliat, strangulatusque moueat, cuius rei causam inferiùs declarabimus: Potest insuper impediri potus transitus à nimia pituita cruda atque viscida œsophagum replente, propterea quòd impulsus potus non habet tantam vim impulsiuam vt pituitam penetrare valeat, quantam habent solida cibaria: imo pituitam eleuat in ampullas, vndè magis compressa proxima arteria, strangulatus patitur. Tandem depranatur quandoque potulentorum transitus nulla apparente manifesta læsione: sed larynge patiente. Cur autem inflammata palati extrema parte, siue larynge læsa id contingat, facillimè videbimus dum cognouerimus quonam modo organa se se getant in potando, quo nam verò in commedendo. Præcipere igitur oportet gu-

lam & aſperam arteriam à faucibus incipere, hoc tamen diſcrimine, quòd non ſolùm poſtica ſit gula, ſed etiam videatur altiùs principium retinere: larynx verò non ſolùm ſit in anteriori, colli parte ſita, ſed inferiùs videatur obtinere principium, quo gulam impingere & claudere videtur. Vnde quoties facienda eſt deglutitio, larynx deber eleuari ſupra œſophagi principiũ, quod deprimi & dilatari debet. Id autem facillimè cõtingit ope muſculorum laryngis, quos cõmunes œſophago cognominant, quibus quidem alteram partem cõprimentibus, oppoſita eleuatur, & vice verſa. Inſuper diligentiſſimè animaduertendum eſſe credimus, laryngem dum potamus altiori loco & longiori tempore deduci, quàm dum commedimus, & per conſequens ipſam, & arteriam conſtringi magis & longiori tempore; vnde longiori tractu reſpiratio detineri debere potando quàm in commedendo. Sic etiam exaltiori laryngis eleuatione, profundiorem fieri compreſſionem ipſius oris gulæ. Nec id prætereundum eſſe credimus, quòd feliciter in deglutitione, extrema pars palati gulam verſus tendit: quòd, ea parte inflammata, difficilius accidat ex potu, quam ex cibario ſolido; cum ille non valeat tàm fortiter impellere, quàm iſtud. His igitur ſic ſtantibus ſi extrema pars palati inflammata fuerit, difficillimè deprimetur gula quantum ad potãdum ſatis, ex eò quòd muſculi qui palato & gulæ communicant breuiores reddiri ſi heri negant. Potus igitur cum ob eam cauſſam permeare nequeat, aduentante ſpiritu à pulmonibus, impellitur per nares, vel ſi negat dimouetur ſuffocationem commouet. Præterquam

quod

quòd palatum difficiliùs à potu quàm à cibo gulam versus pellitur. Dum verò larynx inflammatur, fit rationabiliter difficilis respiratio, quæ difficillima redditur, imò omnimodo negatur, sic leuari & constringi debet, quantum pro potando fàris. Vndè Natura, tamquam suffocationi proxima, potum validissimè refugit & per nares repellit, impellente spiritu. Ex his igitur apparet Rabidos laborare vel palati inflammatione, quod non videtur: vel ea angina, quæ laryngem occupat, vel ea, qua œsophagum phlegmate repletur. Quæ quidem duo in ipsis fieri, per sectionem facillimè pati potest.

PARTICVLA TERTIA.

Diximus quid sit Rabies: at res dubbiæ non sic determinandæ veniunt: Sed rationibus, auctoritatibus & experientia comprobari debent. Videamus igitur primò an aliquod nomen habeant angina & Rabies, quod idem saltem innuat. Rabies in Brutis animantibus *Rauia* dicitur ab aliquibus, quòd raucedinẽ propignat: Angina verò & ipsa in quibusdam brutis ἀγχόνη scilicet *Raucedo* nominatur ab Aristotele. Sed nõ est nomini fidendum. Canes angina laborare clarius patet, quàm diligentiori egeat probatione, ob hoc nẽpe κυνάγχη dicitur à Græcis, vndè apud Aurelianum legimus lib. 3. Oxeon cap. 1. *Alij verò etiam cynanchen & lycanchen hanc passionem vocauerunt, siquidem frequenter hæc animalia afficit; nam canes cynas, lupos lycas vocauerunt.* Nec dicendum est canes ea tantùm angina laborare,

quæ occupat exteriùs colli partes, eum ea quæ fit cum apparente rumore interno peculiari nomine κυνάγχη dicta fuerit, propterea quòd sæpissimè canes ipsa strangulentur Sed videtur non esse vlteriùs progrediendũ; quippe Aristoteles dixit lib. 8 de Hist Anim. cap. 22. Οἱ δὲ κύνες νοσήμασι τρισὶν, ὀνομάζονται δὲ τοῦτο λύττη κύναγχη, ποδάγρα. ideſt, *Canes laborant tribus morbis: isti autem vocantur Rabies, cynanche, podagra*. Quibus verbis clarissimè videtur nostram euertere sentẽtiam cum Rabiem ab Angina separet. Sed non sic forsitan se se res habet. Cum & nos quoque anginam à rabie differre dicamus, ex hoc quòd angina sit latius quoddam genus. Sic etiã Hippocrates 21. Aphor. sect. 3. dum de morbis qui æstate fiunt loqueretur dixit καὶ πυρετοὶ συνεχεῖς, καὶ καῦσοι, ideſt *& febres continuæ & febres ardentes*, quamuis febris ardens sit ex genere continuarum. Sed vlteriùs vrgebunt forsan alij, asserentes Galenum alioſque Medicos magni nominis longè aliter de natura rabiei, quàm nos sensisse: Sed de hac re sollicitu non sumus. Admiramur Galenum reliquosque eruditos Viros & eorũ placita, sed veritatem longè magis. Imò si nobis notum fuisset Galenum, alioſue attigisse hanc opinionem, quam nos sequimur, non fuisset cur libellum hunc conscriberemus; cum possit vnusquisque Galeni dogmata, nullo adhibito nostro auxilio, recognoscere in mirabilibus libris a billo conscriptis.

PAR-

PARTICVLA QVARTA.

REdeamus igitur ad ineęptum, & videamus an accidentia, quæ in cane rabido apparere solent, possint fieri etiam ab angina. Huius rei testimonium præbet Areteus, cuius verba eruditissimus Paulus Iunius Crassus elegantissimè interpretatus est hoc pacto. *Adest sanè canis angina laborantibus tonsillarum, faucium, totius oris inflammatio: lingua extra dentes & labia prominens: saliua effunditur: potuta crassissima, ac frigida desiunt, facies rubicunda, & inflata est: oculi exerti, patentes valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi sunt: Sed strangulatione vexati eos obscuriùs sentiunt. Pectus & cor ardent! frigidi aeris desiderium adest, & admodum exiguum inspirant, eousque donec demum intercluso ad pectus aeris transitu strangulentur.* Si quis igitur huiusmodi accidentia in cane viderit non nè statim ipsum rabidum affirmabit? Non nè sunt ista quæ nos deducunt ad rabidorum cognitionem, dictitantibus auctoritatibus & ipsa insuper Natura? Sunt qui visis huiusmodi passionibus in homine, cum non potuerint ad brutа causam referre, non dubitarunt confiteri Rabiem in Hominibus ab interna causa generari posse absque vlla contagij suspicione. Sed non tam breuiter sententiam nostram demonstratam volumus: Verùm distinctè magis ostendemus tempora & accidentia eadem prorsus esse Rabiei & cynanches, nec varias insuper habere causas.

PAR-

PARTICVLA QVINTA.

QVarbot anni temporibus, Auicennæ teste, & experientia comprobante Rabies fieri solet, quicquid alij quidam dicant: isdem temporibus cynãchen fieri scripserat Hippocrates vel si alius fuit Autor lib. de Victus rat in mor. Ac. Caloris & frigoris excessus Rabiem excitare solent. Quid mirum? fluxiones pariunt ria fluxionibus cynanchen fieri ab omnibus habemus, eas verò à numio externo frigore vel calore gigni videmus quotidiè & habemus ab Hippocrate li. de Veteri Med. lib de locis in Hom. & alibi, testatusque est Halyabbas lib. 9. Theor. cap. 19. Auicennas, Galenus, Aretæus, & vnusquisque (vt ita dicam) Medicinæ scriptor. Nec à ratione discrepat, nimirum excellens & immoderatum frigus cerebrum refrigerat, cõstringit, & humiditatem eius exprimit, redditque impotes ad benè concoquendum nutrimentum, quod defertur illi, & ad resoluẽdos eleuatos ad ipsũ vapores. Vndè nõ solùm assidui sunt ab illo fluxus: sed insuper, cum sanguis liberum transitum non habeat, iugulares venas improportionatè replens crascessit, & eos inflammatione concepta lædit. Calor autem excedens longè magis attrahit, quàm concoquere & tenere possit, improportionatè cerebrum calefacit, ac indè liquat, carnes rarefacit & humores tenuiores reddit nec non calidiores; vndè (quemadmodum Hippocrates dicebat) calida acris & nitrosa fluxio. Præterea incalescit etiam cerebrum à frigore quandoque, veluti dixerat Hippo-

crates

crates lib 2. de morbis. Item si rabies ortum habere solet à calidioribus & frigidioribus potionibus & cibis, ipsisque aeriorubus & putridis: Sic cynanché fieri Aurelianus affirmauit: imò Aretæus inter causas anginæ non solam refrigerationes, & calefactiones, ebrietates, frigidæque potus, sed etiam saturitates solas posuit. Et Hippocrates lib de veteri med inter fluxionũ causas, acrimoniam & intemperantiam humorũ numerauit; quæ duo quàm facile ab enumerans causis prouenirent omnibus clarè patet. Quòd autem accidentia rabiei sint cynanches accidentia nunc remanet nobis demonstrandum.

PARTICVLA SEXTA.

QVicumque ab animali rabido vulneratur; à principio nihil præter vulnus, non magis quàm alia dolorificum, pati consueuit. Sic etiam nihil præternaturale à principio percipit, qui spuma vel spiritu rabidorum fuerit infectus. Processu verò temporis, modò longioris, modò breuioris, accidentia multa patitur. Quæ primò cum Aureliano diuidemus in antecedentia, & subsequentia. Et in ordine primo numerantur, corporis difficultas, insolitusque motus, somni suspensi atque turbati; quibusdam dolor capitis, & aurium tinnitus, stomachi grauedo, cum parua bibendi voluntate, & ciborum contuprione; cruum & brachiorum extensio, crebra iugisque oscitatio, insuetaquærela quòd aër sit veluti austrinus, quamuis fuerit serena quies; Visus quoque fallitas peruolantiũ veluti

culicum,

culorum; vultus feminæ; Anxietas quædam sine vlla ratione, & iracundia. De quibus omnibus priùs quàm ad alia deueniamus, rationem reddere tentabimus. Primò igitur præscire oportet, quòd in fluxionibus nõ solùm pars recipiens, sed & illa quæ demandat etiam patitur. Habemus namque ab Hip. lib. de Nat. Hum. *Necesse est enim eum quid horum* (loquitur de humoribus) *secretum fuerit & per se steterit, non solùm eum locum, vndè secesserit, sed etiam in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est dolore ac morbo vexari.* Vnde non solum gulam & alias colli partes in cynanche malè affici asseuerandum erit: Sed etiam caput præpati dicendum. Quàm facilè insuper fluxiones à capite ad ventriculum proueniant, omnibus quidem apertissimè patere credo, & experientia ipsa demonstrante, & gratissimorum etiam Auctorum testimonio comprobante, & Hippocratis præsertim in lib. de Glandulis, in li. de locis in Homine. In 1 & 3. de Morbis & alijs pluribus in locis. Hoc igitur ante omnia retinendum est in cynanche non solùm (quemadmodum diximus) gulam & reliquas circumpositas partes malè affici, sed etiã caput, oculos, pectus, stomachum, &c. eoafficri. partim ob præsentem materiam, partim ob infensos delatos vapores, communemque aliam præternaturalem affectionem. His sic stantibus, cum caput patitur, mirũ non est, dolores in ipso fieri, somnos suspensos atque turbatos reddi: nec mirum est, aërem apparere nubilosum, & paruis animalculis volantibus refertum. Habemus etenim ab Hippocrate lib. 3. de Morbis, quòd cynanchici *obtusius vident*; prouenit autem hoc præcipuè

puèà vaporibus, à fluxione, ab excedente communicato calore, & ab impulsione venarum iugularium, estque signum aduentantis maniacæ passionis. Ventriculus autem ob capitis consensum & ob defluxum ab ea parte, læditur grauedine, patua bibendi voluntate, ac ciborum corruptione, ab hac eadem caussa anxietatem fieri assuetandum erit, si Galeno credimus, eum 7. Aphor. com. 56. legamus: *Eodem modo & ægrotos illos anxios esse* (scilicet dicimus) *qui accubitum non ferentes iacendi figuram euariant, quia semper præsens aggrauat eos. Hoc verò præcipuè illis euenire consueuit, quibus in ore ventriculi (quod nos sæpè solemus stomachum nominare) certa quædam humoris qualitas continetur ventriculo molesta, quæ neque plurima est, neque in ventriculi fluctuat cauitate: sed eam ipse imbibere tunica.* Et Hip. dicebat lib. 2 de morbis de ijs, quibus gurgulio inflammatur, quòd nesciunt stare loco: sed se se vibrando spiritum & animam efflant, & de cynanchicis lib. 3. de morbis, quòd crebro se se iactant & exiliunt. Indignatio autem & ira (secundum Cassium) prouenunt & ipsæ quoque ob materiam, quę defertur ad infimam gulæ partem & ventriculum, vnde existimauit irarum & indignationis caussas promanare? Nos verò addimus, ab excedente calore, & commoto bilioso humore, & à percalfacto spiritu, ob impeditum respirationis transitum, sanguinem aliquantulum accendi circa cor, & indè iram ac indignationem prouenire. Crurum & brachiorum magis extensio & oscitatio crebra, fiant à detento spiritu, derentaque flatuosa humiditate in musculis, per quos tales motus fiunt, dum eiectum viam sibi ipsis aperire tentant, huiusmodi mo-

tum gignant. Sic apud Hip legimus; *Multus aër coacer-uatus cumulatim supernè petens, commouet ac diducit os, cum per hoc facillimus ei exitus pateat; quemadmodum enim ab aquis subbete feruentibus vapor multus eleuatur, sic & corpore calefacto penetrat per os aër conuolutus & quadam vi crumpens.* Sic etiam legimus apud Gal. in 2. epyd com 6 pat 3. *Ea itaque, & alia huiusmodi infirma dispositiones dum incipiunt à naso solluntur, secernente Natura eos spiritus & humores, qui ipsas generarunt; veluti ofcitatio, & distensio cum ofcitatione, quæ fiunt ex secretione excrementorum.* Sic etiam Aristoteles in prob. tetulit ofcitationem ad vapores. Quòd autem in cynanchicis vapores fiant, & eleuentur fortiter, nulli dubium esse credimus. Possemus forsan aliam quoque reddere rationem, quòd nempè iugulares venæ meningem percalfaciant, & indè leuia quædam principia conculsionis generentur, quæ à vaporibus quoque fieri possunt; non esset enim fortasse arduum & inconueniens, ofcitationem ad leuem quádam conuulsionem redigere, sic & brachiorum extensionem fieri à Natura pugnante contra principia quædam leuia conuulsionis aduentantis.

PARTICVLA SEPTIMA.

Diximus de accidentibus, quæ se se primò propalare solent in ijs, qui à rabido sunt infecti, veluti nuntia crudelioris agminis: Sequuntur namque plurima quæ momentum longè maius habent. Horum autem nonnulla pertinent ad respirationem: nonnulla ad vocem: Aliqua ad locutionem alia ad deglutitionē:

quædam

quædam ad oculos: quædã ad faciem: Plurima ad stomachum: plurima ad alias partes: Multa ad totum corpus, alia denique ad animæ operationes Facies ergo inflammatur, oculi exerti, rubenteſque patent. Hoc idem in cynanchicis euenire adeò clarum eſt, vt non indigeat probatione; teſtaotur tamen Auicennas, Aurelianus, Areteus, Galenus, Hippocrates, & alij. Cauſſa verò videtur eſſe ſtrangulatio, quæ ſanguinem ad eas partes compellit, nec non communicata inflammatio, & impeditus venarum tranſitus. Lumen rabidi auerſantur, quẽadmodum Auicennas docuit nos: Hoc idem de cynanchijs omnes affirmarunt; Quod ab ipſa inflammatione ac intumeſcentia oculorum prouenit. Difficulter ſpirant Rabidi: Hoc idem de cynanchicis dicebant Hip. Galenus, & quicunque alij; Quid mirum, ſi quid ſit angina memorię repetamus? Vocem raucam ab illis reddi Auicennas affirmauit: & de cynanchicis Hippocrates dicebat *vox obtuſa*. An forſan latet cauſſa? Non nè clarum eſt à fluxionibus id quotidie fieri? Linguam difficulter mouent Rabidi: Sic & cynanchici cum ipſis intumeſcant venæ, quæ linguam peuertant; & huius partis muſculi ad anginatum loca deducantur, ſintque malè per conſequens affecti. Linguam aliquando Rabidi extra os protendunt: hoc etiã & cynanchici; veluti & apud Areteum, Aurelianum, & illos plurimos habemus Rabidos murmurare dicebat Auicennas: & Aurelianus, cynanchicorum *loquutionem tremulam ſed confuſam*. Vox veluti latrabilis vel ſuporum vocem emulans in Rabidis narratur. Sed quid? Cęlium auſculcemus. *Ally verò etiam cynanchen & lyncan-*

chen hanc passionem vocauere, siquidem frequenter hæc animalia afficit: Nam canes cynas, lupos lycos vocauerunt; quorum quoque similes voces siue vlulatus in cynanchica passione constituti, cum perfocari cœperint, emittunt, &c. & cap. 2. repetebat sic. *Quibusdam caninus vocis sonitus.* & nos vidimus mulierem laborantem angina ob menstruorũ retentionem subitam, genitam à calore prunarum accensarum loculis suppositarum, quæ quoties bibere tentabat, tremens voces modò lupinas modo caninas reddebat. Hoc autem manifestissimis causis, non oculis fieri credimus. Præaccipere igitur oportet quod Hippocrates dicebat, cynanchicos in naso loqui, quãuis Auicennas aliter crediderit. Insuper hoc etiam animendum est, cynanchicorum linguam fieri tumidam difficilisque motus, vocemque reddi raucam. Quibus sic stantibus necessariò sequitur canina vel lupina vox; cũ enim loqui volunt, duobus modis possunt aérem impellere, vel violenter & interruptè; vel vt ita dicam, quærulè & extensè: si violenter ac interruptè faciant ob respirationis indigentiam, cum aer impulsus nõ possit à lingua benè articulari, & ab organis vitiatis aliquo modo reprimatur, necessariò vocem, veluti latrantem, facit: Si verò quærulè & extensè, luporum more vlulant, cum lente admodum per nares transeat, quemadmodum vnusquisque ex arbitrio experiri potest. Non est enim verè latratus, sed potiùs, vti apud Hipocratem habemus, *vox abrupta, obtusa*, ac violenter reddita: Non propriè vlulatus, sed indistincta omotona querula vox, rauca. Aliena quandoque loquũtur Rabidi. Et de cynanchicis idem apud Hippocratem habemus lib. 2. de

Morbis

Morbis pop. & alijs pluribus in locis. Huius autē clara cauſſa; malè ſiquidem afficiuntur mentis ſedes. Ammittunt Rabidi vocem, ac ſtertunt. Hoc & cynanchici; ſuffocantur etenim ac ſtrangulantur. Rabidi ſpumam ore reddunt. Hoc etiam de cynanchicis Areteus, Cęlius, Hippocrates, & alij ſunt teſtati, cuius rei cauſſa legitur apud Galenum 49. com. lib. 2. aphor. alijſque pluribus in locis. Sitiunt rabidi: ſitiunt & cynanchici, dum paſſio incrementum habuit, propter nimium intrinſecum calorem, à quo tandem aqua pericardij conſumitur, non aliter ac in ardenti febri conſumptam vidit Ioannes Ieſſenij à Ieſſen. Sed quamuis ſitiant, cum non poſſint deglutire, potum & eſcam auuerſantur rabidi: Quod etiam de cynanchicis Hippocrates docebat lib. 2 de Morbis pop. ſect. 2. & alijs pluribus in locis, & Auicēnas cap de ſignis anginę & Aurelianus cap. 2. lib. 3. oxeon. nec non omnes, vt ita dicam, Medicinæ ſcriptores. Sed huiuſcemodi ratio inſufficiens aliquibus apparere poterit; cum rabidi aquam videre non ſubſtineant. A nos hoc quoque in cynanchicis euenire demonſtrabimus. Nunc ad alia nonnulla accidentia deuenjamus. Qui (vt dicunt) Hidrophobiei iam ſunt, ac morti proximi, tentantur nauſea & vomitu. Sic & cynanchici. Nec id irrationabile dicendum, cum ſupernus ventriculus excalfactus, attrahat in ſe, fiatque indè vomitus, quemadmodum Hippocrates lib. 1. de Morbis nos docebat. Conuelluntur rabidi: conuelluntur cynanchici. Emittunt illi inuoluntariè ſemen: ſic & iſti ob conuulſionem. Obſeruatum fuit generari quandoque vermen in anteriore parte capitis, tàm in

cane

cane rabido, quàm in homine. Hoc etiam in cynanchicis obseruauit quandoque Phylippus Aureolus, integræ scholæ Princeps. Rabidorum aliqui febricitant: aliqui verò non. Sic & cynanchici. Difficillimè potant illi imò à potu strangulantur: sic etiam difficillimè cynanchici nonnulli. imò à saliua sola ipsos quandoque strangulari dixerat Hippocrates si eam deglutire tentent.

PARTICVLA OCTAVA.

VErùm dubitabit aliquis qua ratione fiat, quòd Rabidi turbentur ex solo auditu aquæ fontis, vel etiam nomine? Quis eius rei causam exoptat, memoriæ recolat, Rabidos non leuem læsionem pati à potulentis; vndè necessariò apprehendunt speciem illius tanquam aufugibilem. Et eò quidem magis, si mente alienati fuerint. Quippe Maniaci videntur fortiùs retinere species iam apprehensas; vndè mirum nō est si quandoque ad sonitum decurrentis aquæ vel auditu tantùm nomine exacerbentur ægri, fit etenim ab imaginatione ad organa regressus; quomodo autem id contingat per recordationem, Cassius nos docebat. 75. probl. & Suidas in verbo Ἀνάμνησις; totum id spiritui tribuentes. Nec inficer aliquis ex hoc, quòd quandoque accidat, rabidos ex aquæ intuitu læsi primò quā ex ipsa potatione, id etenim & nos quoque scimus ab Aureliano & Cęlio confirmatum, quibus assentimur. Sed addimus id ob aliam causam contingere; ob aliam scilicet disgregationem iam ægrotantis mentis;

factam ærebus lucidis. Anginoli namque splendida, & lucida non sustinent, ob eam affectionem quàm oculis patiuntur. Hinc forsitan Democritus iubebat (referente Cælio) porum præbendum in poculo spherico. Et Methodici mandabant ipsos obnuru vulru bibere. Et Arabes alij voluere illis dari potum in vase confecto ex cute lupi, vel alterius animalis, & cooperto eodē cutis genere, vel latrinæ panno. Alij per canalem longum optimè cooperto per os infundi potum voluere; Non quòd virtus sit in cute vel panno aliisque talibus ridiculis: verùm vt ægrotorum oculi non exasperentur, quemadmodum fieri solet, ex reflexione luminis, quę provenit facillimè ab aqua, vitro, speculis, ceteriſque talibus. Addas à visione citiùs & fortius imaginationem commoueri, quàm ab alio sensu.

PARTICVLA NONA.

SEd amplius, Non incongruè videbitur plurimùm distare ab angina Rabies, dum meminerimus à rabidis commingi res carnosas veluti paruos catulos. Sed id plurimi negarunt: & qui asserunt non consentiunt, alij quippe dixere id contingere in fine morbi, quod à Rudio & pluribus alijs reprobatur: Alij verò asseruere id fieri intra spatium septem primorum dierum, quibus transactis aiunt animalcula in renibus congenita nō posse amplius pertransire vrinarias vias. Sed hæc ridiculè videntur, cum nullum horum appareat in vrina, vel in renibus. Expurgatur quidem cum vrina & pituita & semē putrefactum, vnde curiosiores quidam possunt sibi ipsis varia simulacra fingere, potiùs

tiùs per aeriorem imaginationis vim quàm per existentiam rei; vt de lunæ maculis euenire videmus, quę vnicuique pro imaginationis propensione varias formas repręsentare potest Nec equidem credimus inrationabile quandoque accidisse in rabidis cynanchicis, vt ex putredine genita fuerint quædam animalcula, & excreta per vrinas, sed id non est proprium rabiei; nec perpetuũ. Legimus apud Plut. 8. symp prob. 9. Atheniis ephebum cum multo semine eiecisse bestiolę asperam, multis pedibus ambulantem; nec desunt plurimæ historiæ, apud Schenchium, istius generis.

PARTICVLA DECIMA.

QVòd maius negocium facessere videtur, est quòd Rabiem contagiosam diximus, cynanches verò contagiosa non videatur. Sunt equidem qui negent Rabiem esse contagiosam, ex hoc quòd supposuerit ipsam esse siccissimæ naturæ, & potiùs venenum, quàm contagiosum morbum. Sed à veritate forsan aberrarunt non dirigentes oculos ad humiditates plurimas rabientium corporum, & non distinguentes venenum fieri à corpore incontaminato in propria specie: contagium verò à putrido & corrupto, siquidẽ vipera, aconitum, atsenicum, & alia quæ sunt venenosa, vel venenum pariunt, occidunt venenando, quamuis nullã patiãtur putredinẽ & corruptionem: sed hoc satis est, quòd habeant naturam contrariam ijs animalibus, quæ necari debent. Contrà verò, à propria naturali constitutione recessere plurimum oculi laborantes

rantes humida inflãmatione, cutis vitiata ob scabiem, pectus læsum phthisi, aër infectus peste, Cauisque rabie detentus. Cum igitur sit contagiosa Rabies; videndum est, repugnet ne Anginæ contagium. Aristoteles dicebat illas ægritudines contagio fieri, quæ vitiant spiritum, grauemque reddunt & humiditati iungunt adeò vt illius ope adhærere possit corpori afficiendo. In quibusdam anginis verò, quid vetat maximam adesse commixtionem spiritus & excrementi pituitosi? Non fit nè spuma? Quid vetat excrementa putrescere, & vitiari spiritus? Certissimum est hìc Venetijs Sacerdotem quendam digito cõmotsum fuisse à febricitante quodam cynanchico, dum ob illius delitamenta ederet ipsum demonio vexatũ, admouererque digitum illius ori. Et certissimum est eundem religiosum Virum, post octo dies, rabie correptum obijsse. Quo autem modo per contagium communicari accidat, nunc remanet declarandum. Fit primò angina rabida, scilicet putrilaginosa, & occupans gulam, laryngem, eique adnatas glãdulas. Spiritus huic humido putrido admiscetur; & quasi compurrescit; ambo spumæ commiscentur, vel saltem aëri, quem tabidus ore reddit. Si sanum corpus tangant, ad sui naturam alterant obuios sanos spiritus, sanguines, & humores. Et id quousque ad determinatum locum perueniat infectio, & gignatur similis rabida angina; quæ indè totum corpus alterat, quousque mortem inferat. Nec sit qui miretur quomodo infectio determinatum locũ petat, euenit etenim aliquando vt determinatæ partes per contagium lædantur: atque sit vel affecta parte post partem vsque ad determi-

natum locum: vel tendente contagioso spiritu primariò ad partem determinatam. Afficitur hoc modo oculus in ophtalmia, pulmo in phthisi, summum corpus ob scabiem, & quæcunque tandem primò & faciliter mouentur ab eo quod mouet: Altero verò modo afficiuntur inguina, caput, articuli, & alia membra plurima nõ numquam in morbo, apud nos vocato gallico. Hæc autem determinatarum partium infectio prouenit ab ortu, & humidi similitudine; dum etenim vitiatus spiritus corpora ingreditur coniungi solet materiæ, quam nactus fuerit suæ propinquiorem, concomitaturque eam, quocunque rendat. Si namque destinata fuerit ad aliquod membrum, puta cerebrum, vel inguina, eò ipsam insequetur etiã spiritus. Hinc est quòd quotiescunque pituitosam habuerit materiam, pituitoso sanguini cõiungitur, & ascendit ad cerebrum cui talis sanguis demandatur. Sic, qui morbo gallico laborant solent quandoque impertiri easdem affectiones & in ijsdem partibus, quas & in quibus patiuntur ipsi; propterea quòd spiritus vitiatus ad eas defertur vel cũ nutrimento, vel cum excremento; vtpote cum nutrimento ad hepar, cum excremento ad inguina: cum nutrimento ad cerebrum, cum excremento ad fauces & tonsillas. His ita positis cum in rabida angina spiritum vitiari accidat & pituitoso humido, atque salinæ iungi; quid mirum si prognignat in alijs rabidam anginam? Si quippe inspiretur aeri cõmixtus, laryngem illico contaminat; indè gulam, jugulares venas, caput nec non reliqua. Sic etiam si saliuæ, vel cibarijs commixtus deglutiatur, afficit illico tonsillas, epyglottiden

atque

arque gulam. Si verò, ſpumæ immixtus, adhereat corpori & præſertim vlcerato, per partem poſt partem contaminando quæ veniunt obuia, eſt in cauſſa rabidæ cynanches; cũ etenim vitiatus ſpiritus fundamentum habeat & viuat, vt ita dicam, in materia à capite & à bore fluxa, nulli mirum eſſe debet ſi admiſceatur ſuccis & excrementis gulam, laryngem, caputque petentibus; ſique perueniat ad eas partes commixtus illis, eaſque lædat, quod eò facilius aduenit, quòd cerebrũ, & glandulæ laxam, mollem, & imbecillem naturam habent; vndè non ſunt, quemadmodum aliæ partes, aptæ ad reſiſtendum & expellendum: ſed aliis frigidiores & humidiores, facilius pati ſolent. Et præcipuè glandulæ, quæ tamquam excrementorum ſpongiæ videntur conſtitutæ, & gulæ quæ naturaliter aliqua pituita obduci videtur. Cur autem aliqui tardiùs, aliqui verò citiùs in morbum incidant, id prouenit à fortiori vel leuiori tabientium morbo, à complexione, ſpirituum vitio, ſpumæ vel pituitæ copia, propinquitate vel longinquitate partis primariò inquinatæ, à communicantia partium læſarum cum partibus angine ſubditis; ex diuerſa hominum ac temporum conſtitutione, ex dietæ varietate. Sic etiam citiùs ac tardiùs pereunt ob eaſdem cauſſas & anginarum differentias; quarum aliæ ſunt diuturniores: aliæ velociores, quemadmodum Hippocrates dicebat lib. Præn. & Auicennas, nec non alii. Vt plurimum autem creduntur poſt quadragintadies periculum euaſiſſe, propterea quod hìc eſt quaſi vltimus terminus anginarum acutarum, velut legimus apud Auicennam, Raſem. & Hip. lib. x. de morbis pop. ſect. 2.

Quòd si aliqui incidunt in rabiem post longum tempus, id nõ abhorret à ratione; cum, veluti iam superiùs diximus, angina sit aliquando morbus cronicus. Vndè habemus ab Hippocrate loco iam citato. *Multi verò ad valdè longum tempus partem aliquam tumoris habebant, & columellæ liquescentes significationem parvam exhibebant.* Et Demetrius (referente Cælio) dixerat, Homines à cane rabido commorsos læui tumore affectos fuisse vltra biennium; quod optimè dictum credimus, quamuis Cælius aliter existimauerit. Potest insuper absque apparente tumore vel liquescẽtia relinqui debilitas quædam in partibus anginæ dedita; vndè accedente postea quauis caussa apta gignere fluxiones putridas, rabida cynanches excitetur; & eo quidem facilius, quòd angina est morbus, qui recidiuas facere consuevit, veluti aduertabãt Aurelianus & Hippocrates. Imò, vti in principio dicebamus, gignitur quandoque Rabies in Hominibus absque præcedente contagio. Vndè non semper ad externam lesionem est confugiendum. Si quis verò dubitet, cur Rabidi non conquerantur de faucẽ reliquarumque partium colli dolore, si cynanchen patiuntur; Adeat Aurelianum, qui de cynanchicis incipientibus dicebat: *Sequitur autem eos, qui hac passione tentantur, querela SINE VLLA RATIONE;* & Hippocratem lib. 3. de Morbis, qui de confirmatis cynanchicis dicebat: *Videntibus nihil mali habere videntur & vident ac audiunt obtusiùs, & præ suffocatione non intelligunt neque quid dicant neque quid audiant, aut faciant.* Et Aretæum, cuius sententiam, sic translatam legimus: *Dolores acerbi sunt sed strangulatione vexati, eos obscuriùs sentiunt:*

cruor. Imò Auicennam audiat, expressè docentem nos aliquando cynanchicos dolore priuatos esse, quod ante ipsum adnotauerat Galenus 4 Aphor. com. 54. sub fine, dum loqueretur de illis anginis quę à multa pituita fieri solent, quales rabidos pati diximus Et habemus apud Hippocratem lib. præn. quòd sanguinosi facilè, *ac sine dolore* degere videantur, tuberculo ad extremam partem conuerso &c. significatur mors, aut ruboris recidiua. Præterquam quod deliranr fere semper omnes; qui verò mente constant, narrant fauces & gulam maguam habere constrictionem, & angustiam, vti Petrus Salius etiam adnotabat.

QVINTA

QVINTA PARS OPERIS.

PARTICVLA PRIMA.

EX dictis (ni fallimur) clarissimè colligitur Rabiem esse anginam quãdam contagiosam, cum ijsdem excitetur causis, in ijsdem animantibus, ijsdem temporibus, habeatque accidentia prorsus eadem & effectus eiusdem cõditionis, & apparet quomodo vnum quodque accidẽs, habeat determinatam causam, & patentem, quomodo morbus contagio inficiat Homines & Bruta, ac vitam adimat. Nunc remanet loquendum de curatione, sed breuissimè, cum ea planissima haberi possit apud Auctores in tractatibus de angina, & qui sufficit ad cognoscendum sufficiat ad sanandum, quemadmodum Hippocrates dicebat, vel ad prædicendum saltem.

PARTICVLA SECVNDA.

CVm verò prudentis Medici officium sit nõ solum præsentes morbos debellare, sed imminentibus quoque

qooque vim infringere, tota hæc tractatio, quæ curationem explicat per capita, dirigetur vel ad vtilitatem eorum quos tetigit contagiosus spiritus, non tamen hucusque læsit euidenter. Vel illorum, qui aliquales, sed leues, substinent passiones, anginam solitas præter. Vel tandem eorum quos cyoanches obtinet. Quicunque igitur voluerit primis opem ferre; in memoriam reuocare debet quòd isti in plures distinguntur series. Horum quippe alij commorsi sunt: Alij per os infecti, vel spiritū attrahendo, vel aliquid ore contrectando, vel aliquid commedendo. Possent etiam addiungi forsan alij, qui scilicet intentè nimium oculos rabiētium prospexere; propterea quod rabidi sunt ophtalmici, & ophtalmia contagiosa extat. Insuper animaduertendū est eandem esse causam immediatam, qua omnes isti malè solent inficri; vitiatum nempè spiritum. Quale autem vitium habeat spiritus, qui contagio inficit, optimè nos docebat Aristoteles prob. 4. sect. 7 dum dicebat aliquas ægritudines contagiò fieri, quoniam spiritum vitiant grauemque reddunt; Innuens scilicet, vitium in nimia grauedine & crassitie consistere; quæ ab humido excedente & crassa nimis materia prouenit; Vndè in fine problematis addebat, ad contagium duo esse necessaria; quòd spiritus attingere possit corpus, quodque possit persistere ob glutinositatem: Hinc insurgit indicatio exiccandi & attenuandi; Hoc autem externis & internis præsidijs tentari potest. Externa sunt, ex vrina, & aqua marina lotiones; pulueres, emplastra, & vnguenta, quæ id præstare valent, si contagium per vulnus timeatur, Si verò per os; externa præsidia erunt

garga-

gargarismata, & pulueres insufflati, omnia confecta ex attenuantibus & exiccantibus; in quorum numero sunt pulueres ex cinetibus cancrorum, hysopi, hirundinum, stipticum brassicæ; vel potenniores, ex nitro & flore sulphuris &c. gargarismata ex aquis appropriatis in quibus admixta fuerint nitrum, alumen, spiritus aceti, oleum sulphuris, spiritus vitrioli, puluis scloppetorum, atramentum sutorium & similia; item linimenta ad internas gulæ partes, secundum artem applicata ex vnguento Ægyptiaco Mesues & similibus; quæ omnia aliquo modo, cum non deglutiantur, externa nominari possunt. Si verò ex inspectione infectionem timeamus, possumus lauare oculos cum aqua fœniculi, vel euphragię & similium, admixtis sale, saccaro, vel felle, vel viride aeris, vel alumine Cypro, seu Italo & similibus, quæ attenuant, & exiccant, & ab oculo tolleratí possunt. Interna præsidia in hoc genere sunt rhu, gentiana, cynis cancrorum, alysson, centaurea minor, hysopus, capparorum cortex, sal prunellæ, spiritus vitrioli, & alia cum vino, vel aquis appropriatis, scilicet ruiæ caprariæ, vriticæ, vlmariæ, eringij & aliorum ex ratione plurium. Altera insuper indicatio ex eodem spiritu elicitur, ab ipsius nempe motu. Cum enim spiritus infectus à partibus externis ad internas tendat, necessum est ipsum ad exteriores partes reuocare, vel eius transitum impedire. Ad extra reuocabunt scarificationes, hyrudines, cucurbitulæ, emplastra & cerata attrahentia, nec non glutinum, supra vulnus imposita; vel alia similia; hoc idem præstabit motus, &, si æger valdè tumuerit, sanguinis extractio à

com-

commodiori ad hunc vsum parte, timor etenim sanguinem ad eor retrahit, & venę sectio, si debito modo exerceatur, reuocat ad ambitum; Sic vini potio, & exercitatio, modò modum habeant. Transitum impediunt ligamenta, vel constrictiua medicamina debito loco apposita, & aliqui ad hoc vruntur oppio. Potest etiam alia extrahi indicatio partim à spiritu & spuma, partim à parte malè affecta; quòd scilicet absolutè remoueatur spiritus eiusque coniuncta humiditas, nec non etiã eare quæ infecta fuerit. Præstabunt hoc ignis actualis & potentialis super vulnus, à rabido inflictum. Actualis autem vel ferro, vel argento, vel auro, vel ære, & alijs quam plurimis administrari potest. Potentialis verò erit vnumquodque causticum; veluti aqua aluminosa, & aliæ omnes vocatæ fortes, & composita cauterizzantia; & oleum sulphuris, vel vitrioli; & dum perstiterimus infectionem, spiritus vitrioli cum aquis appropriatus, qui non solum attenuabit & exsiccabit, sed hoc potenter agens, humiditatem & spiritum consumet, non est enim in ijs partibus eare consumenda. Alia etiam indicatio desumitur à materia quam nostrum corpus præbet, quæ nihil aliud est quàm humiditas excrementitia, in qua recipiuntur infecta materia & spiritus infectus. Hæc verò indicat sui ipsius ablationem; & obtinebimus, purgantibus, diuretcis & sudoriferis. Inter purgantia principem locũ videntur obtinere, quæ à capite, à tonsillis & à faucibus materiam educunt, veluti agaricus, iris, talappa, rheum indicum, coccognidium, &c. pillulæ cochiæ, hierę diacolocintidos. Item clisteria & suppositoria, in quo-

rum genere, acria dulcioribus meliora credimus. Diuretica etiam ipsa aliqua leuiora, aliqua potentiora sunt; plurimùm autem præstabunt si admixtum habuerint rododendrum; & sunt saxifragiæ, helicacabus, eritmum, pastinaca terrestris & marina, raphani domestici & siluestres, sales & aquæ harum rerum & fabarum, & anonidis &c. item cantarides præparatæ &c. Sudorifica erunt decocta ex ligno sancto, salza parilla, ex cyna, ex ligno sassafras, vrtica, aliisque plurimis, item aurum diaphoreticum, præcipitatum diaphoreticum & alia plura chimicha huius generis Quæ omnia nõ tantùm materiam euacuabunt, verùm etiam motum spirituum inficientium cum materia ad exteriora reuocabunt, eorumque substantiam extenuando & exiccando poterunt consumere. Hæc sunt ea, qua videntur facienda in ijs qui hucusque nulla apparente passione deuenerit, sed tantum à rabido commorsi sunt, vel per os, vel per oculos infectionem timent. Dum autem aliquales passiones incipiunt propalari, ad alia etiam remedia deuenire licet, & secundùm ea quæ apparent operari. Oportet fluxiones sistere, partem recipientem roborare, materiam reuellere, deriuare & euacuare, à toto corpore, à parte demandante, & ab ea, quæ recepit, insuper dolores lenire, si qui adsunt; sanguini, qui per Hippocratẽm venis sistitur, motum reddere; inflammationes extinguere si quæ sunt; vias corporis patentes reddere &c Ad fluxiones sistendas, animaduertendum an caput nimio incendatur calore; quo quidem casu refrigerãdum erit lotionibus ex decocto hordei, malue, hãbucę, papaueris, &c. & odore papauerum in aqua

rosacea

rosacea cum santalis & floribus nimphęę, vel odore oppij; item oxirodinis ex oleo nimphęę, rosarum, violarum, vnguento populeonis, ęteriſque ſimilibus, & ſanguinis euacuatione. Si caput autē maximo frigore conſtringatur, tunc poroſitates apetire conuenit lotionibus ex decocto meliloti, fœnu greci, capillorum veneris &c. Si verò nimio humido laboret exiccādum erit pulueribus, aliſque notiſſimis pręſidijs; ſic etiam ignis actualis ſupra ſuturam coronalem, & cerotum Barbarum & alia capitalia eidem parti & temporibus adhibita fluxiones ſiſtent, nec non materiam aliquomodo euaporare facient. Firmabit eas etiā diacodion & Theriaca recens, ſi à calido prouenerint vel fluidiores fuerint. Siſtet item vomitus qui materiam quoque vacuabit; conciliari vero poteſt remedijs quamplurimis ad hunc vſum aptis, Nos tamen credimus in hoc caſu non eſſe tentandum ope relaxantium, ſed abſtergentium & expurgantium; ſcilicet ope aſſari & hellebori albi &c. euacuabunt inſuper reliqua purgantia ſuperius iam recenſita, & alia plurima; Reuulſio fiet doloriſicis, aliſque attrahentibus poſitis ſupra vulnerarum vel cicatrizzatum locum, ſic etiam ligaturis, veſicantibus &c. Deriuabunt materiam à colli partibus, naſipurgia ex helleboro albo, clarerio, euphorbio, ęteriſque modò eiuſdem generis, modò mitioris, nec non etiam, ſi occaſio poſtulet, extractio ſanguinis per venas frontis, oculorum, narium, poſt aures, quas tamen tentandas non probamus niſi prius ſecta vena brachij; Hiſce remedijs non ſolum deriuabimus, verum etiam aliquomodo euacuabimus; Et inflammationes & do-

lores, si aderunt, extinguemus; & cursum sanguini reddemus, si in colli venis impeditus fuerit. Fauces roborabimus adstringentibus, quibus attenuantia & resoluentia admixta fuerint, nè materia inimica detineatur illic. In hoc genere sunt pulueres rosatum excicatum, foliorum mirti, balaustiorum, gallarum, hippocistidis, acaciæ, admixtò nitro, hisopo, &c. Materiam adherentẽ abstergere sunt apta suffumigia, ab antiquis recẽsita, per longas fistulas, ad hoc ne calfaciant nimiũ, in os tecepta, quę ex farfara, nitro, sulphure, hisopo &c. secundum rei vrgentiam fieri possunt. Sic oximel, electuarium ex helenio, vel ex iride siccata &c Porosirares corporis aperient frictiones, cucurbitulę, vnctiones, ad hunc vsum aptæ, Balnea, & lotiones aptæ. Si vetò iã synanches adsit, secundùm morbi naturam prudens medicus se gerat; non est enim instituri nostri hoc loco recensere illa, quæ apud omnes Auctores plana & in confesso sunt Recurrat igitur ad Auicennam, Alexandrum, Aretæum, Paulum, & Aetium, Actuarium, Aurelianum, Galenum, & Hippocratem, ac alios, à quibus curationes tecognoscet. Cùm vetò apud hos non extet (quod nos sciamus) Medicamentum à nobis inuentũ, non pigebit id referre, vsum scilicet niuis & aquę concretæ gelu, quibus mirabiliter extinguitur inflammatio, si diù detineantur ore. Id quoque animaduertendũ esse duximus, quòd si necessum sit, ob aliquam caussam os pertingere, cautè incedatur admodum nè commordens æger contagiò lædat. Addimus insuper quòd medici nõ timeant aliquando (si ratio dictitet) dextetrimè incidere venas temporales & iugulares minores, velut

etiam

etiam in ægipto alijs de cauſſis fieri natratur. Si verò morbus adeò furiat vt ſpuma iam appareat, poſſent per os immitti fiſtulæ ab Hippocrate recenſitæ, ad reſpirationem & nutritionem excogitatæ; an verò expertæ neſcio, cum veriſimile ſit potiùs ab ijs vomitum excitari poſſe. Sic etiam forſitan tentari poſſet laryngotimia, diuiſuta ſcilicet aſperæ arteriæ ab Aſclepiade iuuenta, Quæ nõ immerito forſitan ab Aureliano acriter reprehenditur; quæ ſi tentari debet, meliùs equidem tentabitur inſtrumento ferreo candenti vel aureo: Sed eo tempore, mihi videntur ægroti ptognoſtico potiùs relinquendi, His omnibus reſpondere debet accõmodata victus ratio. Hoc tamẽ addimus, quòd dum æget timet aquã, glutinoſus lubricuſq; debet eſſe, potus lenitorẽ habens, uè ampullas eleuet, non admodum fluidus, ſed potiùs lubricus, vt gulam & laringẽ defatiget minùs, rectoque non cedat, ſed quò facilius poteſt permeet. Ob hoc hebetem vti lacte, præſertim coagulato, gelu cornu cerui, gelido pullorum iure, luteis ouorum, cæteriſque talibus. Et hæc ſunt ea, quę ad curationem genericè ſpectantia, à nobis videbantur recenſenda.

PARTICVLA TERTIA.

CVm verò adſint etiam nonnullę curationes, quę mirabiles & quaſi non naturales huc vſque exiſtimatæ ſunt; non pigebit eas hic recenſere & noſtram de illis promere ſentẽtiam. Lucę (vt referunt) ſunt quidam ex quadam familia, qui accepto poculo terreo, in fundo ipſius quoſdam caracteres inſcribũt. Benedicit

facer-

sacerdos poculũ: Post hęc qui notas designauerat, gladiolo ipsas poculique portionem abradit & cum vino infuso, sturam bibendam præbet illi, qui à rabido vulneratus fuit; dumodo hucusque alium non substinuerit lęsionẽ. Hoc nos credimus nihil in se mirabilis habere vna excepta benedictione. Omnia scilicet quę talem ingrediuntur potionem attenuant & exiccant, & aliquo modo roborant. Vndè in principio rationabile præsidium erit; & eò quidem magis quò adhibita sacerdotalis benedictio, maiorem illi virtutem facit. Sic etiam in Gallia apud D. Huberti Templum iuxta mare positum, cõmorsi mare ingrediuntur, & in ipso ambulant. Sic in Italia pluribus in locis Diui Belini clauibus ferreis ignitis, in nomine Dei exurunt vulnus à rabido inflictum. Quę duo, quamuis naturalia sint, caussamque manifestam habeant, eò euadunt meliora, quò Christianę pietati sunt proximiora. Celsus & alij cum æger ad aquę fugam iam deuenit, ipsum in aquam submergendum suaserunt. Hoc periculosissimum est remedium; veluti quod facillimè strangulare solet. Potest tamen aliquando contingere vt æger superuiuat, & eximia aquę copia pituita abstergatur; perque vomitũ & secessum expurgetur; & si quę adest inflammatio extinguatur. Si quis hoc vtatur medicamine, aquam ingrediatur tepidá, & occasione postulante patiens ab aqua tractus oleo tepido foueatur. Cinis cancrorũ, alisson, & spongia canini rubri, quę occulta proprietate credebantur operati, attenuantem siccantemque naturam possident. Aelianus cap. 20 lib 9. de Anim. docet nos Piscatorem quendam Cretensem sanasse filios à

canicula

canicula rabida commorsos, Hyppocamporum exenteratorum ope, quorum alios assos eis commedendos dedit: alios cum aceto & melle contriuit, eoque cataplasmate vlcera obligauit; atq, (credente Aeliano) adolescentium rabiem vicit, excitato in ipsis per Hyppocampos aquę desiderio. Credidit enim elegantissimus ille Auctor hanc esse proprietatem eorum qui Hyppocampum commedere, vt aquam summo studio quærant & ab ipsa delectentur admodum. Verùm piscator ille non curauit præsentem Hydrophobiam: sed futuram à filijs declinauit, non ob occultam Hyppocamporum vim & aquę desiderium, sed ob illorum naturam attenuantem & exiccantem, quam in illis Galenus quoque recognouit.

PARTICVLA QVARTA.

PRopositum superiùs aliqua valida dubitatione non carentia Diximus in principio morbi conuenire purgantia & diuretica nec non aliquando sectionem venę. Sic etiam dum incipiunt quędam anginę præludia fieri, vomitum laudauimus. Tandem inter purgantia per infernum ventrem, coccognidium, & inter vomitoria albũ helleborum recepimus; quę quidem omnia non paucã in se difficultatem habent Sint igitur qui negent in principio, purgantia & diuretica dubera. Eorum verò rationes sint. Prima, quòd medicamenta motum gignant; in venenis verò pòriùs requiratur quies, nè venenum exagitatione fortiùs humores & corpora inficiat. Secunda, nè vi medicaminum

maior-

maior fiat ad intrà veneni tractio; eum purgantia & diuretica ab externis partibus ad internas trahant. Nos autem etedimus aliquando diureticis & purgantibus vtendum esse etiam in principio. Primò namque adest indicatio, quæ desumitur à materia, quam nostrum corpus præbet, quæ nobis plurimi facienda visitur; cum plures homines optimè constituti & ab excrementis mundi nullam aliam à cane rabido noxam receperint, quàm solum vulnus, nullo enã adhibito præsidio: imò patet etiam corpora puriora pesti quoque plurimum resistere. Vndè etedimus in corpore impuro & cacochimo nullo modo prætermittenda esse. Nec allata in contrarium argumenta nos deterrent. Primò namque dubitari posset, an spiritus cõtagiosi, venenosi dici possint, quãuis ab Actuario, Dioscoride, Galeno, & alijs canis rabidus inter animantia venenata recenseatur. Secundò falsum est venena semper indigere quiete, veluti in nostro de viperarum & scorpionum vi mortifera & Medica demonstratum sumus. Tertiò ea, quæ nostrum corpus in deterius alterant, non quiete, sed extinctione & expurgatione indigent. Quantum autem ad secundum argumentum attinet hoc nullum robur haberet in ijs, qui vel respirando vel alio quo vis modo per os infecti sunt, cũ spiritus inficiens iam adrum habuerit. In ijs verò, qui fuere morsu vulnerati, dubium est an contagiosus spiritus in sola corporis superficie sterterit, anuè intrò repserit; quod verisimilius etedimus; cum per totũ corpus venæ & arteriæ dispergantur; quæ perpetuò fluentes facillimè receptum spiritum & ipsamam huc & illuc citissimè deferre valent,

& co

& eò quidem magis, quò sæpiùs homines aliquo modo timentdum à rabido mordentur, quo casu sanguis ad cor retrahitur. Hisce de causis sæpiùs vidimus homines in rabiem incidisse, quamuis vsi fuerint in principio medicaminibus ad externam partem attrahentibus. Secundò animaduertendum est prædicta medicamina non solum euacuare materiam, quam nostrum corpus præber; verùm etiam vnà infectum adherentem spiritum purgare, vel saltem tenuando siccandoque, refrãgere. Tertiò falsum est fundamentum, quòd purgantia & diuretica ad partes internas trahant, non etenim ad eas, sed per eas motus; valde quippe distat, ad locum intra corpus trahere & per locum extra corpus ducere. Illud quidem irrationabile & inconueniens: hoc autem rationi & naturæ consonum: cum natura exemetipsa sæpiùs per vrinã, vomitũ, & secessum venenatos liberet. Nec dicendum est, quòd in transeundo corpora spiritus inficiat, est enim ex semetipso ad operãdũ segnis; & impotentior redditus, atq; forsitan extinctus ab ipsa attenuante vi medicaminum; quorũ etiam proprium est, naturam mirabiliter ad expulsionem incitare. Vndè nos credimus in principio non esse à medicaminibus purgantibus & diaereticis abstinendum, si corpus excrementis scateat, ac eo præsertim quo diximus ordine; scilicet post adhibita localia, quando decet. Erat altera dubitatio an conueniat, missio sanguinis. Hoc posset negari. Primò ex eo quod maior fieret retractio veneni ad interna. Secundò quia nõ videntur adesse indicationes. Tertiò propterea quòd in casu venenoso indigemus virium robore, sanguinis autem eua-

cuatio virtutem frangit. His attamen non obstantibus nos cedimus aliquando sanguinis missionem conuenire. Scilicet dum æger valde timuit, vel per os infectus fuit; nec non etiam dum per morsum; si tempus aliquod introeundi spiritus habuerit; sic etiam dum patiens valdè fuerit pleroricus. Tantũ enim abest, si æger timuit, vt per sanguinis missionem ad interiora fiat retractio, quin potius per sectionem venæ sanguis ad exteriora reuocetur, & secum etiam infectus spiritus, si ad cor redierat; est enim naturæ proprium statim ac sectam habet venam illuc deterioren sanguinem & spiritum impingere. Hac eadem causa, laudanda est sanguinis euacuatio, si spiritus infectus tẽpus aliquod introeundi opportunum habuerit, vel per os ingressus fuerit; sique corpus sanguine repletũ fuerit; solet enim natura in tali casu abhorrere quodam sublenari, vndè fortiùs contra inimicum spiritum insurgit ad vincendum; non potest enim probè, quod noxium est expellere, nimia sanguinis copia impedientevenas. Est igitur aliquando sanguis equidem mittendus & à proximiori vena, quęcunque sit, si æger morsu vulneratus fuerit: si verò per os spiritum ingesserit, à communi; vt ita cor & caput expurgẽtur, & indè ab ijs, quę sub lingua sunt. Nec deterreant nos allatæ in contrarium rationes. Propterea quòd primò falsum est non adesse vnquam indicationes. Retractio enim sanguinis ad cor, reuocationem ad ambitum requirit, inter ea verò, quæ præstatur, est equidem venę sectio. Amplius duo sunt ea, quę sanguinis missionem indicant, vel scilicet nimia copia, vel immedicabilis cõditio, quod enim nimium

est,

est, diminutionem postulat: quod naturæ & medica-
minibus repugnans, euacuationem indicat; Vnde si
corpus nimio abbundet sanguine, vel viriato valdè
scateat, nostro equidem iudicio, sanguis mitti debet.
Nec fortius est alterum argumentum, quòd egeamus
virium robore; Quis etenim est tam fatuus, vt viribus
oculum non dirigat? Sunt vires quidem attendendę:
sed iuxta & requisita sanguinis missio, eas nō extinguit.
Præterquamquod dum morbum oppugnamus, viri-
bus consulimus; contra verò, dum timentes nè robur
infringatur, necessaria prætermittimus, morbus inua-
lescit, vires decidunt, ac vita perit. Erat Tertia dubita-
tio An conueniant vomitoria dum incipiunt pandi-
culationes & alia quæ cynanchen præire solent. Hoc
plurimi negabunt propterea quòd vomitus in angina
aliisque morbis lædentibus spiratum non conueniat,
plurium medicinæ scriptorum testimonio. Cumque
non conueniat per affectum locum trahere Nihilomi-
nus contrariam nos amplectimur sententiam, quòd
scilicet aliquando conueniat. Hip lib. de locis in homi
ne dixit fluxionibus ex capite manantibus vomitū con-
ferre. Quòd autē ijs fluxiones fiant & fiſti debeant,
dubium equidem non est. Insuper idem Hip. lib. 5. de
morbis vulgar. statim, ac de cynanche locutus fuit,
dixerat conuenire purgationes superioris ventris in
accessionibus morborum, quando humores per ea
sublimè efferuntur, cum anxietate & capitis grauitate,
aut incontinenti corporis iactatione; quę quidem om-
nia in iam dictis ægris facillimum est reperire. Et Cel-
sus optimè dixerat lib. 1. cap. 3. quòd si aliquid corru-

ptum est, nihil commodiùs existimari debet, quàm id qua via primùm expelli potest eicere, per vomitum scilicet; Vnde materia quę vitiata reperitur in stomacho, gula, & faucibus, per vomitum nobis eicienda visitur; facilior enim, breuior, latior, & promptior via. Nec argumenta iam allata nos ab ista reuocant sententia. Quippe non purgare per vomitum in Angina, non est adeo receptum dogma, quod contrarium plurimi nõ senserint. Praxagoras etenim & Heraclides Tarentinus magni nominis Auctores cynanchicis dabant medicamen vomificum Emeticum ab ipsis dictum Et Hippocrates lib. 6. de morbis vulgaribus ait se quosdam cynanchicos ex superioribus purgasse. Imò quandoque nõ possumus rationabiliter nisi per vomitum purgare, propterea quod si deorsum trahentes, in pectus materiam deducamus, æger in maximò vexabitur discrimine; & natura vt plurimum per os huiusmodi morbum ex semetipsa solet expurgare. Insuper concedimus per affectum locum nos non debere aliquando purgare; tunc scilicet quando periculum est nè maior copia ad partem attrahatur quàm expurgari possit. Sed in casu nostro contrario modo se se res habet; propterea quod tantũ abest vt materiã vomitus impingat in partem lęsam, quòd ipsam ab illa extrahit & expurgat. Et hinc est, quemadmodum dixerat Hippocrates lib. de locis in Homine, quòd vomitus vomitu sedatur, cum ab ipso eluantur quę sunt ipsius caussa; & hac eadem ratione lib 3. de morbis iubet fricari paracinanchicorum linguam & fauces ijs, quæ pituitam educũt; ad hoc scilicet vt materia morbum gignes per prom-

ptiores

ptiores vias expurgetur. Addimus insuper quòd Petrus Salius & alij qui in de morsis à cane rabido vomitum cõcitauere, testantur pulcherrimum inde veniſſe opus. Quod si postea negẽt in morbis respiratum lędentibus vomitum oportunum, id nihil refert; cum repugnet illis ipsorum quoque experientia, quæ certissimum est testimonium veritatis. Et Hippocrates dicebat, quicquid artificiosè factum est, ex ratione prolatum est, ac productum. Quicquid autem artificiosè dictum non autem factũ, methodi inartificialis demonstratiuũ est. Dubitabatur vltimò an relatæ materiæ præsidiorum conuenirent, scilicet cocognidium & Indici phasioli inter purgantia infernum ventrem; & album Veratrum inter vomitoria; cum ista apta sint ex semetipsis fauces inflammare. Pro cuius dubitationis solutione hoc animaduertendum, est; quòd quamuis cocognidium & indicum ricinum si deguſtentur fauces inflamment; nihilominus id nõ prędant si debitis modis propinentur; scilicet in vino dulci, vel melle cocto, vel in alijs rebus abscondantur, ne transeundo propria superficie tangant immediate fauces. Sic etiá veratrum nullam affert fauciũm lęsionem, si debitis modis ipsum & nostrum corpus prępatemus; de quorum quidem prępara tione, dosi &c. in nostro de helleboro libello tractaturi sumus. Hoc interim sufficiat in casu nostro optimum esse post cibum eius secundam decoctionem propinare eo modo paratã, quò apud Petrum Salium legimus in tractatulo de rabie. Quantum autem in rabie debellanda valeat helleborí albi potio, colligitur facillimè ex eo quod canibus etiam opitulatur, & ex

Actuario

Actuario cap. de tabie ; sed hoc præsidium tentandum non laudamus, cæteraliqua alia fuerint tentata frustra, vel dum maxima adest occasio.

PARTICVLA QVINTA.

ABsoluta iam sunt omnia quæad cognitionem, caussas, prognosticum, & curationem attinent. Nunc verò recensenda venient quædam, quę fugienda omnimodò creduntur. Compertum est nos, qui à rabido sunt infecti, per annum saltem debere a fructibus cornorum abstinere ; fecit enim fructus iste rabiem sępiùs. Sed quid mirum ? ora gingiuasque lędit quemadmodum Dioscorides nos docebat, & experientia sępiùs comprobauit. Hac igitur ratione si quę adest debilitas vel malignus fomes in venis linguæ, tonsillis, faucibus, aliisque partibus, facillimè ob nouam earum lęsionē radices altiùs figit. Præter quamquod nimia adstringētia possunt, fructus per antiparastasin ipsum spiritum exasperare; nec nō sanguinem in venis coagulare ; vndè fluxiones & anginę solent euenire, docēte nos Hippocrate. Sunt qui rem amplianerint ad cōtactum, & ad vmbram cornorum, sorborum, sanguineęque virgę; asserentes experimento constare, harum arborum virgas rabiem excitasse, dum tamdiù manibus tractatę fuerint ab illis, quos rabidus momorderit, quousque incalescant; eandemque vim retinere vmbram earum arborum, propterea quòd pluries visum sit rabiisse eos qui lanas purgant cędendo virgis corneis, nec non eos qui sum moesti sub harum arborum vm-

bra

bra recubarunt, dumodo prius à rabido læsi fuerint. Verùm dubium quidem esse posset an Rabies ab harũ arborum virtute excitetur; an vero fiat (quemadmodum rationabilius esse credimus) ab ijs causis cynanches. Peccant nempe latarij vociferando nimiùm, nimiaque fœcundi ebrietate, & os illorum multo impletur pulvere, qui faucibus adherẽs plurimum affert nocumentum. Sic etiam qui sub vinea cubant; veri est simile, fuisse à sole prius alteratos. Non negamus tamen posse aerem inspirandum, à sorbo & sanguinea virga alteratum adeo, vt fauces etiam aliquo modo lædat. Fugiant ergò qui rabidam infectionem timent omnia, quæ iam diximus, & alia quæcunque cynanchen generare possunt. Caueant illi, qui tentantur morbo lumen & splendida, sic etiam aquam, eius sonum, atque nomen, & sanguis dum mittendus est, (si pestilentia iam abhorrent) excipiatur manu, nè fontis fluxus pertulsus commoueatur ægri. Hæc sunt ea quæ nobis de hoc morbo & eius curatione dicenda videbantur. Prudens Medicus plura apud Hip. & Galenum aliosque Magnos viros, de Angina loquentes, videre poterit; vnde causam, naturam, differentiam, curationem, & prognosticum eliciet. Ex quibus vel ægro sanitatem vel sibi saltem prudentiæ famam comparabit, inter eos vero qui curationem huius morbi sub rabiei nomine optimè tractarunt Actuarius extitit.

PER-

PERORATIO, VLTIMA PARTICVLA.

EXactam certitudinem tarò cerni dixerat Hippocrates. Nec immeritò; Nihil enim probatum est & receptum adeo, vt tanquam falsum & inuerisimile, ab alijs non fuerit acriter reprehensum. Nihil absurdum adeo & incredibile, quod idem aliquibus certissimi faciem non habuerit. Hinc tot variæ & inter se pugnantes Philosophorum, & Medicorum Scholæ. Vndè Plato supra cœlos, Veritatis campos collocauit; omnem sensibus fidem abrogans. Non deerunt ergo, quibus hæc nostra improbanda, & à veritate dissona, credantur. Quibus hoc solùm responsum volumus; opinionis errore decipi, & si sapientis non sit: hominis saltem esse. Nosque insuper non eorum, sed nostram scripsisse sententiam, quam ideo amplexati libenter sumus, quia sub veritatis forma se se nobis propalauit, sensibus & ratione ipsam quærirantibus: Vndè si falsam cognouerimus, eam statim reprobatam volumus. Si alijs igitur aliter appareat (absque nostræ reclamationis suspicione) credant & scribant quicquid iubet. Benignè Lector vale.

FINIS.

33036889